HISTORIA
THESSALONICAE

RES GESTAS USQUE AD ANNUM CHRISTI DCCCCIV
COMPLECTENS

SCRIPSIT
THEOPHILUS LUC. FRIDERICUS TAFEL
PHIL. DR. LIT. ANTIQ. IN REG. LITERARUM UNIVERSITATE TUBING. P. P. O.

PRAEMITTUNTUR NOMINA EORUM QUI IN REGIA LITERARUM UNIVERSITATE TUBINGENSI DOCTORES PHILOSOPHIAE RENUNTIATI SUNT

TUBINGAE
Typis HOPFERI de L'ORME
MDCCCXXXV

TRIUMVIRIS

OPTIME DE SE MERITIS

CAROLO BENEDICTO HASE

LEGIONIS HONORARIAE FRANCIAE, S. WLADIMIRI RUSSIAE, AQUILAE RUBRAE BORUSSICAE EQUITI, BIBLIOTHECAE REGIAE PARISIENSIS CONSERVATORI, IN SCHOLA REGIA POLYTECHNICA REGIAQUE SPECIALI LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORI, INSTITUTI FRANCIAE IN ACAD. INSCRIPTT. ET HUMANIORUM LITT., ACADEMIAE SCIENTIARUM IMP. PETROPOLITANAE, REGIAE BEROLINENSIS, MONACENSIS, SOCIETATIS LATINAE JENENSIS SOCIO etc. etc.

BARTHOLOMAEO KOPITAR

REGIAE ATQUE IMP. BIBLIOTH. AUL. VINDOB. CUSTODI, LIBRORUM EDENDORUM CENSORI, ACADEMIAE SCIENTIARUM IMP. PETROPOLITANAE, REG. DAN. SCANDINAVICAE, SOCIETATIS LITERAR. VARSOV. CRACOV. WILN., POMERANAE HISTOR. ATQUE ARCHAEOLOG., SOCIET. AEMON. AGRICULT. PROMOVENDAE, MUSEI AEMON. ET REG. PRAG. SOCIO etc. etc.

FRANC. CAROLO HUGONI LAURENTIO POUQUEVILLE

INSTITUTI FRANCIAE IN ACAD. INSCRIPTT. ET HUMANIORUM LITT., COLLEGII SCIENTIARUM AEGYPT., REG. ACAD. MED. PARIS., ACADEMIAE MASSILIENSIS IONICO-CORCYREAE BONNENSIS, REG. INSTITUTI BELGICI SOCIO, FRANCORUM NUPER PER GRAECIAM CONSULI GENERALI, LEGIONIS HONORAR. FRANC. EQUITI etc. etc.

HANC COMMENTATIONEM

IN GRATI AC VENERABUNDI ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

TH. L. F. TAFEL

PRAEFATIO

Thessalonica, Macedoniae metropolis, cujus historiam post Belleii Observationes, de eodem argumento a. 1772 scriptas *), ampliori narratione usque ad annum Christi 904 deducimus, insigni exemplo docere videtur, quantum momenti una haud raro urbs, licet imperii sede non ornata, in rebus fatisque totius regni moderandis et constituendis habeat, si quidem non solo locorum situ, verum etiam incolarum ingenio excellit. Ea enim urbs, Graeciae et Macedoniae adversus barbarorum invasiones iterum atque iterum sospitatrix, longo medii aevi decursu fax quaedam humanitatis extitit fideique Christianae promotrix.

Res eius antiquiores, tenebris admodum pressas, quantum licuit, e veteris historiae monumentis illustravi. Floris initium habuit eo tempore, quo Macedoniae ipsius flos marcebat, scilicet Cassandri reliquorumque regno. Plurimum debet Romanorum imperio. Isto enim toto tempore

---

*) *Observations sur l' histoire et sur les monumens de la ville Thessalonique*, par M. l' abbé *Belley*. Inserta est haec commentatio Memoriis litt. atque inscriptt. Francic. Vol. XXXVIII. Sect. histor. p. 121 — 146. Praemittit Belleius opusculo suo hunc argumenti conspectum. 1. *La situation de Thessalonique.* 2. *L' ancienneté et les différens noms de cette ville.* 3. *Les revolutions, qu' elle éprouva sous les rois et sous les Romains.* 4. *Le culte religieux, les temples, les fêtes.* 5. *La dignité.* 6. *Les médailles et les monumens.* 7. *Les revolutions depuis le règne de Constantin.* 8. *Etat actuel.*

nisi nomine semper, sed reapse Macedoniae, Graeciae, Illyrici metropolis fuit, mercaturae beneficio mirifice aucta, quum aliae illarum terrarum urbes ad extremam obscuritatem delaberentur.

Bellicam Thessalonicae laudem seculo post Christum tertio non antiquiorem video. Docuit vero tribus Gothorum invasionibus repulsis, quid incolarum virtus, quid ducum prudentia valeret. Fuere tamen Gothica bella non aliud nisi praeludium certaminum multo maiorum, Slavicorum inquam, quibus inde a Mauritii imperio per unius seculi spatium indesinenter vexatam nos primi docuimus. In his bellis urbs nostra Christiana, aevum suum quasi heroicum agens, nunquam inferior evasit; immo Thessalonicensium maximopere constantia et virtute factum est, ut fine seculi septimi Graecorum imperator cum exercitu usque ad Thessalonicam progredi, Sclavinosque inter Constantinopolin et sinum Thermaicum habitantes regno suo subjicere posset.

Est haec ea Thessalonicensis, immo Byzantinae historiae pars, ubi rerum illarum coaevi scriptores Graeci, typis dudum evulgati, praeter Byzantium suum nihil admirantes, ceterum futili molestaque breviloquentia laborantes, tandem aliquando nostrae urbis nomen et memoriam recolunt; cujus fortitudo tantum effecerat, ut imperator Graecus extra muri Anastasiani cancellos regni limites Europaeos promoveret, atque oram maris Aegaei proximam, si non alia, recuperaret.

Insequenti aevo (seculo VIII) evenit rebellio Sclavinorum Macedonicorum, Graecis parentium. Sed fuit ea brevi repressa; unde factum, ut Graeci, Stauracio duce, Thessaliam quoque cum reliqua Graecia bello petere ausi, Sclavinos, illarum terrarum dominos, subjugarent.

Macedonia, quatenus Graecis parebat, post haec usque ad annum Christi 904 pacata fuit. Ejus anni occasione, s. paulo prius, Sclavinorum Macedonicorum nomen post diuturnum silentium recurrit, coll. Strittero Memorr. etc. Vol. II. p. 94 sqq.; qui vir doctus, licet ante Cornelium

Byeum, Actorum S. Demetrii primum editorem, Memorias suas scribens (Petropoli 1771—1779), uti tamen debebat Anastasio Bibliothecario (Mabillon. vet. analect. Tom. I. p. 65—96). Hic enim, Latinam Actorum Sancti Graecorum epitomen praestans, Sclavinos, Thessalonicam bello petentes, non praetermittit, licet tempore non significato. Praeterea Stritterus eo Actorum S. Demetrii fragmento non usus est, quod Leo Allatius attulit in Diatriba de Symeonum scriptis p. 97., coll. nostra Dissertat. p. 46.

Verum a Strittero, res ac bella Sclavinorum Macedonicorum ante annum 904 prorsus omittente, ad alia transeo, sc. ad sacra Thessalonicae christiana.

Macedonia Slavica, circa annum Christi 688 a Graecis recuperata, quando imperium ecclesiae Graecae subierit, multa legens diuque rimans non inveni. Vestigia quaedam et semina fidei Christianae, in animis illorum Sclavinorum pullulantis, bellorum Slavicorum sec. VI. VII. gestorum historia monstravit. Alia quandoque ex opibus literariis viri eximii, Josephi Dobrowsky, Bohemi, depromptum iri spero; quem doctum, cum vitam et res gestas Cyrilli et Methodii Thessalonicensium, Slavicae gentis sec. IX. apostolorum et magistrorum, enarraret, de rebus Christianorum Slavo-Macedonicorum tacuisse doleo*).

Sclavinorum Macedonicorum ad fidem Christianam conversio multum contulisse videtur ad regni Graeci salutem. Ita enim fine seculi IX. factum, ut ad gentem Bulgarorum vicinam validamque clerici Byzantini, maximopere Thessalonicenses, sacra Christiana transferre possent. Bulgari tamen, licet Christiani, satis diu post Graecorum imperio

---

*) *Cyrill* und *Method*, der Slaven Apostel, ein historisch - kritischer Versuch von Joseph *Dobrowsky* (Abhandlungen der kön. böhm. Gesellschaft der Wissenschaften. Vol. VIII. Pragae 1824). Adde Eundem *Dobrowskyum* in nova earundem commentationum serie Vol. I. Pragae 1827. (Mährische Legende von Cyrill und Method etc.).

parere coeperunt. Longissime prolati eius fines seculo XII., imperante Emanuele Comneno, qui omnia tenuit inter Danubium inferiorem et mare Adriaticum cum Aegaeo sita, non excepta urbe Spalatro, Croatia, parte Dalmatiae, coll. diplomatibus Spalatrinis apud Lucium de regno Dalmatiae et Croatiae lib. III. cap. 10. p. 131 — 133. ed. Amstelod. a. 1666. Is regni Byzantini seculo XII. limes eos latuit, qui tabulas geographicas, Raumerianae Suevicorum imperatorum historiae annexas, confecere. Tacet quoque de eadem re Wilkenius, Comnenorum scriptor (ad Emanuelis vitam p. 523 — 615.) *).

Haec hactenus. Dissertatio geographica, huius historicae commentationis s. fundamentum s. additamentum, proximis mensibus evulgabitur. Thessalonicensis vero historiae capita residua, alia occasione oblata, illustrabuntur.

---

*) Rerum ab Alexio I., Ioanne, Manuele et Alexio II. Comnenis . . . gestarum libri quatuor. Heidelb. 1811.

ARGUMENTUM

INTRODUCTIO. (p. 1—13).

Thessalonicensis historiae momentum. Eam Lucillius peculiari libello illustravit. Graeci urbis ut reliquarum conterminarum conditores, non Thraces vel Paeones (p. 1).

Urbis varia nomina. Emathia, nomen Thessalonicae poeticum; item Halia. Antiquissimum nomen Therma, immo Therme (Θέρμη), coll. Aeschinis oratoris loco. Scriptorum superstitum primus eam memorat Herodotus (antiquior Hecataeus in fragmentis). Thermae nominis usus apud Laonicum Chalcondylam, antiqua affectantem. Therma a thermis dicta. Disputatur de Plinii maioris loco. Chalastra oppidum (p. 1—3).

Thessalonicae nominis scriptio (p. 3. 4). Salonichi. Salnck (p. 3. 4.). An altera Thessalonica? Saltus Thermopylarum. Acta concilii Chalcedonensis emendantur. Thessalonica, Thessalia, al. confusa. Stephanus Byz. emendatur (p. 3. 4).

Thessalonicae conditor. Veterum dissensio. Tzetzae locus de Thessalonicae conditoribus (p. 4. 5). Auctor Thessalonicae non Philippus, Alexandri M. pater, (p. 5. 6), sed **Cassander**, Philippi per Thessalonicam, ejus filiam, gener (p. 6. 7. 17).

Incolae urbis, potissimum Graeci. Thessalonicae numi omnes Graeci (p. 7. 8). Cassandri numus Thessalonicensis (ibid., coll. p. 17); numi S. Demetrii. Thessalonica urbs vera Graeca (p. 8). Chalcidica quoque Graeca esse nunquam desiit (p. 8).

Alii urbis incolae. **Latini** (p. 8). Mercatores **Italici** medio aevo, **burgesiorum** nomina (p. 8. 9). **Iudaei.** Horum post D. Pauli aevum fata incognita. Memoria eorum sec. VII. et XII. recurrit (p. 9. 52). Christianae fidei conditio quaenam inter D. Pauli et S Demetrii tempora fuerit, non constat (p. 9). Quando Thessalonica omnis ad Christi signa transierit (p. 9). Aëtius, episcopus Thessalonicensis, concilio Sardicensi a. 342. interest (ibid.). Iudaei inquilini sec. XII.; eorum memoria cum Armeniis iungitur (p. 10). De sedibus genti Iudaicae inter Christianos concessis: Eustathii Thessalonicensis de ea re testimonium (p. 10. 11). Graecorum odium adversus Iudaeos, Latinos, Muhammedanos: ejus odii ordo (p. 11). Muhammedanos inquilinos Thessalonica sec. XII. non habuit. Synagoga eorum Cpolitana (p. 11).

Armenii. Ii Graecos in obsidione Normannica a. 1185. pessime tractant; neque aliter in Friderici Suevi imp. expeditione cruciata (p. 12). Armeniorum Thessalonicensium episcopus a. 1370. concilio Armeniorum Sisensi interest (p. 13).

NARRATIO. (p. 13—72).

Therma urbs a. 480. Xerxis, Persarum regis, stativum (p. 13). Thracia cum Macedonia Dario subjecta (p. 13. 14). Therma num Xerxis aevo Macedonica fuerit (ibid., coll. p. 16). Cameniatae locus de aggere Thessalonicensi ad tempora Xerxis relato (ibid.).

Therma bello Peloponnesiaco Macedonica. Eam Athenienses capiunt (a. 432.); reddunt Macedonibus (p. 14). Urbis illo aevo momentum (ibid.).

Pausanias, regnum Macedonum affectans, Thermam capit a. 360. (p. 14).

Thermae nomen in Thessalonicam mutat Cassander Macedo (p 15). Thessalonica, Cassandri conjux (ibid.). Oppidurum finitimorum incolae Thessalonicam a Cassandro transpositi (ibid.). Chalastra (Chalustra); Anoea; Cissus (p. 15. 16. 17). Scriptorum de his quidam dissensus (ibid) Thermae renovatae, s. in Thessalonicam mutatae, nomentum; ejusdem rei tempus (p. 16). Videtur esse annus ante Chr. 315. vel 314. Cassandri numus Thessalonicensis (p. 17., coll. p. 7. 8). Dionysii Halicarnassensis testimonium de Cassandro, Thessalonicae urbis auctore (p. 17). Doctorum recentiorum de Thessalonicae conditore dissensio (ibid.).

Macedonia Romanis subiicitur. Thessalonica Romanis, apud Pydnam victoribus, se dedit; fit Macedoniae secundae caput (p. 17). Tempore Macedonum ejus momentum haud parvum (p. 17. 18). Portus Thessalonicensis; eum Constantinus M. a. post Chr. 322. condidisse fertur (p. 18).

Thessalonica sub Christi natalia Macedeniae urbs primaria (p. 19. 28). Cicero exul ibi moratur ante Chr. a. 58 (ibid.). Thessalonica ante Chr. a. 49. 48. Pompeianarum partium senatusque Romani sedes in bello Caesaris Pompeiique (ibid.). Sequitur deinde partes Antonii atque Octaviani ante Chr. a. 42 (ibid). Thessalonicam Brutus militibus suis in proelio Philippensi diripiendam pollicetur; Appiani et Plutarchi de ca re loci comparatur (p. 19. 20).

Thessalonica, liberae conditionis civitas: cui hoc beneficium debeat (p. 20). Numi Iudiqua Thessalonicenses eius rei mentionem facientes (ibid). Liberae civitatis eo tempore notio (ibid.). Cohortes Romanae ibi stationem habentes (p. 20. 21). Quamdiu liberum statum tenuerit Thessalonica (p. 21. 28).

Forma civitatis Thessalonicensis post Macedonum imperium. Livius de libertate Macedonum. Populus Thessalonicensis (p. 21). Pelitarchae, summi Thessalonicensium magistratus; eorum numerus (ibid.). Quaestor urbis (ibid.). Magistratos Thessalonicensis a. 1328. (p. 21. 22); senatus eodem tempore (p. 22).

Thessalonicae tria decora: D. Paulus apostolus: S. Demetrius; nomen orthodoxae. Cameniatae de ea re locus.

D. Paulus apostolus Thessalonicae commoratur (p. 22—24).

Nomen orthodoxae quare et quando urbi inditum (p. 23. 32. 33).

Sacra ethnica, mores, instituta Thessalonicensium. Deus Cabirus. Ludi et certamina publica. Morum labes; ca num e Luciani quodam loco recte consequator (p. 24. 25). De Luciani Lucio atque Apuleii metamorphosibus disputatur (p. 25).

Bellorum Thessalonicensium series (p. 26). Urbis Romanorum ac Byzantinorum aevo summum momentum militare (ibid.).

Ciceronis aevo Thracum invasiones Thessalonicae molestae sunt (ibid.).

Annus post Chr. 253. initium facit gravissimorum bellorum (p 27). Gothi eo anno Thessalonicam primum obsident (ibid.). Coloniam quando Romani Thessalonicam deduxerint; factum hoc ante Valerianum et Gallienum imperatores (ibid). Coloniae causa et momentum (p. 27. 28). Colonia deducta num statum civitatis liberum mutaverit (p. 28). Iuliani imp. locus de Thessalonica urbe vere Graeca (ibid.).

Thessalonica, mater totius Macedoniae. Sensus huius nominis (p. 28). Metropolis dicitur non ante seculum Christi tertium (p. 29). Numi Thessalonicenses nomina coloniae et metropoleos iungunt, item nomina neocoratus et metropoleos (p. 29).

Gothi Thessalonicam iterum hostili agmine petunt imperante Claudio II. (a. 268—270). Belli huius partes quaedam examinantur (p. 29. 30).

Fidei Christianae status apud Thessalonicenses incognitus toto aevo, quod inter D. Paulum et S. Demetrium intercedit (p. 30).

S. Demetrii martyrium; eius in rebus Macedoniae sacris magnum momentum (p. 30). Quo anno ille passus sit; factum hoc non ante a. Chr. 306 (ibid.), Maximiano Galerio imperante (ibid.). Actorum Sancti primus editor Cornelius Byeus (a. 1780); praeter Hasium iis nemo eorum usus, qui recentiori aevo res Byzantinas illustrarunt (ibid.). Octobris dies VIII passionis Demetriacae festum apud Latinos; eiusdem mensis dies XXVI apud

Graecos et Hungaros (p. 31). Sirmii S. Demetrius tempore perquam vetusto cultus (ib.).

S. Demetrii vita. Eius accuratissima cognitio sacrorum Christianorum; studium in iisdem propagandis. Quare a Maximiano Galerio imp., Christianorum persecutore, interfectus sit (ibid.). Quando in patria sua Thessalonicensi ut Sanctus coli coeperit (p. 31. 32). Reliquias Sanctorum Thessalonicenses anxie venerantur (p. 32). S. Demetrii reliquiae (ibid.). Orthodoxae nomen, Thessalonicae inditum, res iconoclasticas spectare videtur (p. 33). S. Demetrii cultus Iustiniani aevo (527—565) in omni Graecorum regno invaluit; diu ante in urbe Thessalonica. Malchi, Gothicam Thessalonicae obsidionem ultimam narrantis, de S. Demetrio silentium (p. 33).

Constantinus M. paganis sacra publica interdicit (p. 33). Thessalonicae delicias clarici extranei eodem aevo appetunt (p. 33. 34).

Theodosius M. magnam stragem Thessalonicae infligit. Numerus occisorum; culpa Thessalonicensium Theodosii M. ingenium. Rem istam soli scriptores ecclesiastici narrant (p. 34—36). Theodosii M. facinus cum Caracallae simili facinore comparatur (p. 36). Theodoreti locus emendatur (p. 36. 37). Cladis Thessalonicensis tempus definitur (p. 37. 38).

Gothi Thessalonicam hostili agmine denuo petunt (a. 479). Episcopi Thessalonicensis in eo periculo virtus (p. 38. 39).

Prima Sclavinorum adversus Thessalonicam proficiscentium mentio a. 551. Iter suum abrumpunt (p. 39).

Anno 552. gens quaedam Hunnica (Slavica?) Cassandriam, Thessalonicae vicinam, evertit; Cassandriae moenia reficit Iustinianus imp. (p. 39. 40).

Sclavini, pessimi Graecorum hostes aevo Iustinianeo. Eorum bella Macedonica aperit historia S. Demetrii. Thessalonica cum S. Demetrio regni Byzantini non semel tantum sospitatrix (p. 40).

Sclavini Avaris subiecti (ibid., coll. p. 42). Bella Sclavinorum Macedonica imperante Mauritio (582—602) initium capiunt (ibid.). Illorum bellorum conspectus quidam apud Cameniatam, cuius libri titulum interpretes latini male convertunt (p. 40—42).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense primum. Adoriuntur urbem per opportunitatem festi S. Demetrii (die xxvi Octobris). Ciborium Sancti igne absumitur. Hostium parvus numerus; sed fuit flos Sclavinorum. A civibus repelluntur. Num iam tum sedes in Macedonia fixas habuerint? Annus 584 huic bello male assignatur. Fuit aliquis annorum ultimorum ante annum 597 (p. 42. 43). Pestis Avaros vexat (p. 43).

Brevi post hoc bellum pestis Thessalonicam et Macedoniam vastat; ea describitur (p. 43).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense secundum. Fuit antecedenti multo gravius. Hostium numerus. Septembris die xxiii ad urbem accedunt; ii tum nondum prope Thessalonicam sedebant. S. Demetrii miracula. Urbis status. Eusebii, episcopi Thessalonicensis, virtus. Terrae motus. Hostium permulti ad Graecos transfugiunt. Visio civi Thessalonicensi in templo S Demetrii oblata. Septimo die obsidionem abrumpunt Sclavini, peste attriti, et visione quadam territi. De peste Iustinianea quaedam. Annus huius belli est 597 (p. 44—47).

Fames brevi post Thessalonicam premit; mirificam opem fert S. Demetrius (p. 47. 48).

Alia deinde fames non solum Thessalonicam, verum etiam imperium Graecum atterit. Thessalonicenses a tumultu prope absunt. S. Demetrius ut antea naves frumentarias mirifice adducit (p. 48. 49). Sanctus cum Dioscuris comparatur (p. 49); eius opes tum hoc bello, tum bello Normannico (a. 1185) liberaliter erogatae (ibid.).

Phocae imperium (602—610). Num eo regnante pars quaedam Actorum S. Demetrii scripta sit? Turbae civiles in regno Graecorum. Thessalonicensium dissensio. Eam viri cuiusdam visio in templo S. Demetrii oblata avertit. Thessalonicae Graecique imperii historia sub Phoca imperatore manca et obscura. S. Demetrius cum Eutaxia convictus mysticus; Sanctus cum Apollino medico Horisque comparatur. Eius monumentum ciborium dictum (p. 49—51).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense tertium. Ioannes II., episcopus Thessalonicensis, bellorum antecedentium scriptor. Eius narratio deperdita. Tenuit ille Thessalonicae thronum fine seculi VII (p. 51). Eo tempore Sclavini Drugubitae, Sagu-

dataa, Belagealtaa, Baiunitae, Berzitae, cum aliis gentibus barbaris, magno exercitu Thessalonicam terra marique oppugnant. Classis hostilis. Cellarium, sinus Tharmaici particula quaedam. Portus Thessalonicensis. S Demetrius Sclavinis terrorem incutit. Inquilini Iudaici. Naves hostium perturbat ventus insolitus. Dux eorum capitur: huic oraculum antea editum. Thessalonicae lapidibus ioter·mitur. Scriptor huius belli satis diu post res gestas vixit (p. 51—53).

Sclavini eo tempore in Macedonia et Thessalia sedes suas jam fixerant. Drugubitae et Sagudatae, inter Thessalonicam et Berroeam positi. Disputatur de Cameniatae loco (p. 53. 54). Nomen Drugubitarum (p. 54). Belegezitae. Sunt Thessali, ubi urbs Velestina. Sclavini Berzitae. Thessali forsan et hi. Actorum S. Demetrii narratio paria horum Sclavinorum iungit. Baiunitae ignoti. Tempus belli (p. 54. 55).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense quartum. Brevi spatio post tertium accidit bellum hoc quartum (biennio, ut videtur). Avarorum principem Sclavini ad societatem belli instigant. Magnitudo exercitus hostilis. Naisum et Sardicam barbari capiunt. Horum in oppugnandis urbibus solertia; eorundem tormenta bellica, inter quae machinae ignem ferentes. Messis tempus in agro Thessalonicensi. Quando vindemiam ibi egerint? Ioannes II., episcopus Thessalonicensis, civium animos roborat; ei visio S. Demetrii oblata. Miraculum in lapide funditoris Graeci patratum. Terrae motus. Naves frumentarias S. Demetrius urbi mirifice submittit. Charias praefectus e Cpoli venit. Tormentis hostilibus eventus non respondet. Barbari de discessu agunt, cum donis dimitti volentes. Renuunt Thessalonicenses. Avarus minatur. Fit pax. Obsidionis dies fuere xxx. Barbari S. Demetrii numen praedicant; prima fidei Christianae in animis Sclavinorum pullulantis semina (p. 55—57).

Huius belli tempus Constantino IV. Pogonato (a. 668—685) assignandum videtur. Per biennium praeparatum fuerat, imprudenter vero a barbaris gestum. Iis num ignis Graecus cognitus fuerit? (p. 58).

Terrae motus plurium dierum post hoc bellum Thessalonicam vexat. S. Demetrii illis diebus miracula. Sclavini contermini, ad urbem accedentes, ostentis territi cedunt.

S. Demetrii templum brevi post igne absumitur. Restituitur, intercedente Sancto (p. 58. 59).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense quintum, omnium maxime diuturnum. Incidit in regnum Constantini IV. Pogonati (668—685) et Iustiniani II. Rhinotmeti (a. 685—695. 705—711).

Prima obsidio. Sclavini Thessalonicae contermini pacem agunt. Sclavinorum Runchinorum regulus Perbundus, rerum novarum falso accusatus, dolo corripitur et Cpolin mittitur. Sclavini Runchini et Strymonii pro regulo suo Cpoli intercedunt. Perbundus aufugit; retractus interficitur. Hinc bellum Sclavinorum Macedonicorum. Obsidio Thessalonicae diuturna. Fames. Naves aliquot frumentarias Cpolitanus imperator Thessalonicensibus mittit. Hi aliud frumentum a Sclavinis Belegezitis Thessaliae, pacem agentibus, requirunt. Thebae Phthioticae ac Demetrias Thessalica, sedes Belegezitarum, re frumentaria medio quoque aevo insignes. Demetrias initio seculi decimi a barbaris quibusdam capta. Alia de Demetriade. Sclavini Thessalici, non Dalmatici, episcopum quendam Africanum capiunt (p. 59—61).

Obsidionem Sclavini (Drugubitae, Sagudatae, Runchini) magna vi continuant. Sclavini Strymonii prodigiis a societate belli deterrentur. S. Demetrii visiones salutares. Sclavinorum principes in ea obsidione occiduntur; barbari absistunt, S. Demetrium admirantes. Demetrii Cydonii de his bellis locus (p. 61. 62).

Sclavini Runchini, qui fuerint? Cum Strymoniis iungi in Actis S. Demetrii solent. Runchini non Rusii sedebant, sed inter Amphipolin et Thessalonicam. Mari fuere vicini (p. 63).

Secunda obsidio, brevi post primam secuta. Sclavinus quidam, tormentorum bellicorum artifex, visione S. Demetrii oblata ad fidem Christianam convertitur. Seculi septimi fini atque octavo, i. e. aevo post victoriam Iustiniani II. Rhinotmeti (a. 688) insecuto, Sclavinorum Macedonicorum ad Christum conversio assignanda videtur. Obsidio irrita. S. Demetrii prodigia (p. 63. 64).

Tertia obsidio. Sclavini Runchini et Strymonii mare Aegaeum cum Propontide infestant, item Thessalonicam. Contra eos

Graecus imperator, Iustinianus II. Rhinotmetus, circa annum 688. exercitum mittit. Clisuras Macedonicas (Symbolum? Acontisma?) barbari occupant. Graeci victores. Sclavini Thessalonicam obsidentes re infecta dilabuntur (p. 64. 65). Sclavini Macedonici (mari proximi) se dedunt. Graecorum imperator alios eorum in Asiam transponit, alios in montibus Strymoniis collocat. Ubi Iustinianus imp. Sclavinos proelio vicerit? Graecorum cum Sarazenis bellum. Acta S. Demetrii emendantur (p. 64—66).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense sextum s. Bulgaro-Sclavicum. Originem traxit e sede Avarorum, Sirmio. De Actorum S. Demetrii quibusdam partibus (p. 66. 67). Hujus belli duo duces Maurus et Cuber, Bulgari. Avari, Graecos ultimis seculis impugnantes, captivorum multitudinem in suam terram abduxerant; qui cum Avaris, Bulgaris reliquisque gentilibus connubio mixti, ibi novam quasi nationem procrearunt, studiis et moribus Graecorum, item fide orthodoxa imbutam. His Avarorum princeps principem imposuit nomine Cuber. Iidem, patriam majorum desiderantes, rebelles fiunt. Proelia eorum cum Avaris commissa. Avari fusi. Victores Macedoniam intrant, ibique campum Ceramesium, Drugubitis conterminum, occupant; inde in suam quisque patriam redire conatur (p. 66. 67).

Cuberus, ne sui dilaberentur, ad imperatorem Graecum mittit, ut terra militibus suis assignetur. Multi tamen dilabuntur. Novae Cuberi fraudes. Instruit Maurum, ut profugum se simulet, Thessalonicam cum comitibus intret, imperatori Graecorum se subditum fingat; denique, bello civili motu, civitatem opprimat, ipsumque recipiat (p. 67. 68).

Maurus, Thessalonicae receptus, a civitate opprimenda parum abest. Honores ei ab imperatore Graeco collati (p. 68).

S. Demetrius patriam suam Thessalonicensem servat, visione monens Sisinnium, navibus imperialibus praepositum, ut relicta Thessaliae ora sinum Thermaicum petat, hinc Thessalonicam. Sciathus insula. Acta S. Demetrii emendantur. Sisinnius Thessalonicam cum navibus venit. Maurus, spe frustratus, cum suis ad eos transportatur, qui campum Ceramesianum tenebant. Ceramesiani jussu Graeci imperatoris alio transponuntur. Maurus, Cpolin profectus, honoribus et libertate privatur (p. 68—70).

Quare hoc quoque bellum dicendum sit Slavicum? Tempus ejus in Constantini V Copronymi (a. 741—775) incidit. Momentum hujus belli. Alius nationis subditae ab Avaris defectio (p. 70).

Bellum Graecorum Slavo-Macedonicum a. 758. Disputatur de Theophanis loco. Serbia, Macedoniae urbs. Superior Macedonia Graecis tum non paruit (p. 70. 71).

Bellum Sclavinis, Thessaliam cum reliqua Graecia tenentibus, infert Constantinus VII. imperator a. 782. Dux belli Stauracius. Sclavini subjugantur. Irene imperatrix imperii sui fines visitat. Theophanes emendatur (p. 71).

Thessalonicae ac Macedoniae seculo nono status pacificus. Sclavini Macedonici quando ad Christum conversi sint? Mercatura Cpolitana, cum populis Istrianis exercita, Thessalonicam transfertur a. 888. Via inter Thessalonicam et Belegradam intercedens (p. 72).

ORDINIS PHILOSOPHORUM TUBINGENSIUM
DECANATUM AGENTE
THEOPHILO LUCA FRIDERICO TAFELIO
PHILOS. DR. LIT. ANT. P. P. O.
SUMMOS PHILOSOPHIAE HONORES CONSECUTI SUNT HI:

I.	11.	Mai.	1832.	Ludovicus Zanth, *Silesius.*
II.	19.	—	—	Christi. Guil. Binder, *Ludovicopolitanus.*
III.	31.	—	—	Moses Wassermann, *Lauphemiensis.*
IV.	1.	Iun.	—	Carolus Fridericus Wolff, *Grunbacensis.*
V.	9.	—	—	Rudolphus Wagner, *Stuttgartiensis.*
VI.	21.	Aug.	—	Guilielmus de Hohenhausen, *Wassenbergensis.*
VII.	—	—	—	Martinus Saage, *Brunsbergensis.*
VIII.	—	—	—	Joannes Carolus Rinne, *Erfordiensis.*
IX.	—	—	—	Georgius Guilielmus Hoff, *Campodunensis.*
X.	3.	Sept.	—	Christianus Maerklin, *Heilbronnensis.*
XI.	19.	—	—	Fridericus Vischer, *Ludovicopolitanus.*
XII.	28.	—	—	Gustavus Binder, *Aug. Vindelic.*
XIII.	12.	Oct.	—	Eduardus Breitschwerdt, *Ludovicopolitanus.*
XIV.	21.	Nov.	—	Gustavus Fridericus Haag, *Esslingensis.*
XV.	9.	Dec.	—	Ernestus Hermannus Roller, *Balingensis.*
XVI.	3.	Ian.	1833.	Eduardus Praetorius, *Coburgensis.*
XVII.	15.	Febr.	—	Gustavus Duvernoy, *Stuttgartiensis.*
XVIII.	1.	Mart.	—	Iulius Bergerus de Xivrey, *Parisiensis.*
XIX.	9.	—	—	Gustavus Eduardus Fiedler, *Querfurtensis.*
XX.	10.	—	—	Carolus Philippus Fischer, *Herrenbergensis.*
XXI.	13.	—	—	Iosephus Iacobus Schawlik, *Bohemus.*
XXII.	14.	—	—	Naphthali Frankfurter, *Oberdorfensis.*
XXIII.	21.	—	—	Car. Georg. Waechter, *jur. utr. Dr., Prof. Lips.*

Thessalonicam, hodiernae Macedoniae caput, Xerxis in Graecos proficiscentis stationem, veteris regni Macedonici navale, D. Pauli hospitium, S. Demetrii patriam, Illyricianae Romanorum provinciae metropolin, Byzantini imperii ocellum eiusdemque ultimum propugnaculum, qui Graecorum condiderint vel instaurarint, minus iam liquet, immo satis controversum est, cum Lucilli s. Lucillii Tarraei libro careamus, quem Stephanus Byzantius (de urbibus s. v. Θεσσαλονίκη) his verbis laudat: *Λούκιλλος δὲ ὁ Ταῤῥαῖος περὶ Θεσσαλονίκης βιβλίον ἔγραψεν: Lucillus vero Tarraeus de Thessalonica librum conscripsit.* Graecos urbis pristinae auctores diximus. Thracas *) enim Paeonasque **) accolas, quorum antea illum tractum fuisse puto, urbes isti mari adposuisse, memoriae proditum non est; propius vero, Graecos conditores autumare, qui conterminae Chalcidices sinusque Thermaici litora coloniis suis implerunt. ***)

Urbis autem Thessalonicae ne nomen quidem primitivum in aperto positum est. Aliis *Emathia* audit, aliis *Halia*, aliis *Therme*.

Primi nominis auctorem non antiquiorem Zonarâ invenio, qui hist. 12, 26. *Θεσσαλονίκην*, ait, . . *ἡ πάλαι μὲν Ἠμαθία καλεῖσθαι λέγεται: Thessalonicam . . quae olim quidem Emathia nominata esse dicitur.* Idem repetitur in schedis ms. Angeli Aprotii apud Wassium ad Thucyd. 1, 61: *Θέρμη, ἡ Θεσσαλονίκη καὶ Ἠμαθία.* Quod quis sibi persuadebit? Macedoniam antiquitus *Emathiam* dictam (Justin. 7, 1. all.), adiectivo gentilitio Alexandrum Magnum nominari passim *Emathium* (Ovid. trist. 3, 5, 39), Alexandriam Aegypti *Emathiam* (Lucan. phars. 10, 58.), satis quidem notum est: sed illam Macedonici regni partem *Emathiam* dici, erroneum omnino videtur, aut improprie s. per archaismum apud posteriorem aliquem scriptorem sic dictam puto, ut Alexandrum M., Alexandriam, rell., apposito sc. vel subintellecto urbis Thessalonicae vel Thermae nomine substantivo; cui addita vox adiectiva *Emathia* idem valuit, quod *Macedonica.* Atque hoc quidem potius videtur propter Zonarae anctoritatem, qui scriptor et alibi non rara reconditae doctrinae documenta edidit.

*) Stephanus Byz. s. v.: *Θέρμη, πόλις Θρᾴκης. Ἀπολλόδωρος δὲ Μακεδονίας φησὶ καὶ Θουκυδίδης: Therma, Thraciae urbs. Apollodorus autem Macedoniae esse dicit, itemque Thucydides.* Utrumque recte. Primi Thraces ea loca tenuerunt; his successere Macedones. Strabo epit. fin. lib. 7.: *ἐν Θρᾴκῃ, ἣ νῦν Μακεδονία καλεῖται (in Thracia, quae nunc Macedonia dicitur).* Sermo ibi de Cisso prope Thermam. Idem 9, 5: *Τῆς Θρᾳκίας Μεθώνης, ἣν κατέσκαψε Φίλιππος: Thraciae Methonae* (ad sinum Thermaicum), *quam Philippus evertit.* Appian. bell. civ. 4, 102: *Τῶν Θρᾳκῶν οὔτε θαλάσσῃ χρωμένων, οὔτε ἐς τὰ παράλια κατιόντων, ὑπὸ δέους τῶν ἐπιπλεόντων: cum Thraces neque mari utantur, neque ad loca mari vicina descendant, metu adnavigantium.* Adde Popp. ad Thucyd., parte 1. vol. 2. p. 341 — 348. *Cousinéry* voyage en Macédoine vol. 2. p. 135.

**) Axio, flumini propinquo, Paeonas iam Homerus accolas assignat Il. 2, 848 sqq. De nomine fluminis hodierno (*Vardari*) in parte dissertationis geographica agemus.

***) De his coloniis videndus omnino *Raoul-Rochette* in histoire crit. de l'établissement des colonies Grècques vol. 3. p. 198 sqq. p. 204. Adde Adolphi Ziemanni in Demosthenem de bello Philippi Olynthico commentationem. Quedlinb. a. 1832. p. 5 — 8.

In secundo *Haliae* nomine maiorem difficultatem video, quanquam adiectivo ἅλιος frequenter veteres utuntur de locis quibuscunque maritimis, coll. nova Stephaniani thesauri L. G. editione Parisina s. v. ἅλιος (*maritimus*). Huius nominis primum testem invenio Stephanum Byzantium de urbb. l. c.: *Θεσσαλονίκη, πόλις Μακεδονίας, ἥτις ἄρα ἐκαλεῖτο Ἁλία, Κασσάνδρου κτίσμα*: *Thessalonica, Macedoniae urbs, quae nimirum Halia dicebatur, a Cassandro condita.* Idem plane repetit Etymologicum Magnum p. 447, 33. Sylb. Verum urbs a Philippo vel Cassandro condita (instaurata) *Therme* dicebatur, historia teste, non *Halia*. Ergo urbem nostram aut duplex nomen habuisse putabis (quod non rarum apud veteres, in hac tamen re minus probabile); aut *Halia* primo dicta est, deinde *Therme*. Omnino autem, si vere *Halia* solummodo dicta est Thessalonica, obscura id ipsum urbis initia significabit. Namque *Halia* erit *pagus a piscatoribus habitatus*, idemque spectat Tzetza deinde afferendus, qui Thessalonicam *κώμην* (*pagum*) antea fuisse narrat, incertum, quo nixus antiquitatis testimonio. Aliis *Halia* idem sonabit quod *maritima*, et fieri posuit, ut e poetae veteris loco secus intellecto commentum de *Halia* nasceretur.

Ultimum urbis clarissimae nomen, antequam in Thessalonicam abiret, est *Therme* (*Θέρμη*), s. *Therma* (*Θέρμα*); quae posterior forma soli Aeschini oratori deberi videtur, qui oratione de falsa legatione 31, 36 (211 sq. Reisk.), *εἰληφότος δὲ*, ait, *Ἀνθεμοῦντα καὶ Θέρμαν καὶ Στρέψαν καὶ ἄλλ' ἄττα χωρία*: *qui ceperat Anthemuntem, Thermam, Strepsam atque alia quaedam loca* (sermo est de Pausania Macedone, qui mortuo Perdicca, Philippi, Alexandri, Perdiccae patre, regnum Macedonum affectavit). *) *Thermen* vero (*Θέρμην*) primus puto Graecorum, quorum scripta aevum tulerunt, dicit Herodotus lib. 7, 121. 123. 124. 127. 128. 183. Sequitur Thucydides 1, 61. 2, 29. et Scylax pag. 26. ed. Hudson. Et hi quidem auctores suum loci nomen, quod vere aliquamdiu obtinuit, attestantur, non Laonicus Chalcondylas, Atheniensis, qui in historia sua Turcica, post captam a Turcis Constantinopolin scripta, non eo nomine utitur, quod dudum invaluerat, *Thessalonica*, sed antiquiore *Therme*. **) Ceterum *Thermae* nomen, ut veteris Thermae Siciliensis, aliarumque

---

*) Fatendum tamen, apud Aeschinem, teste Bekkero in sua oratoris editione, formae *Θέρμαν* pro *Θέρμην* auctoritatem uno tantum codice niti, cum *Θέρμην* tres codices habeant, quod non immerito Bekkerus reposuit.

**) En Laonici loca. Lib. 1. (ed. Paris. p. 23. ed. Ven. p. 18): *Θέρμην τὴν ἐν Μακεδονίᾳ, Θεσσαλονίκην*: *Thermam Macedonum, Thessalonicam cognominatam.* Idem ibid. (p. 24 = 19): *Τήν τε Θέρμην παραλαβών*: *Therma capta.* Idem ibid. (p. 14 = 11): *καὶ ἐπὶ Μακεδονίαν ἐλάσας, πλὴν Θέρμης τὰ ἄλλα ὑφ' αὐτῷ ποιησάμενος*: *in Macedoniam profectus, Therma excepta omnia suae potestatis faciens.* Idem ibid. (p. 25 = 20): *ὅσα ἐπορίσατο κατὰ τὴν Θέρμην*: *quae conquisiverat Thermae.* Id. ibid. (p. 26 = 21): *ἐγένετο ἐν τῇ Θέρμῃ*: *venit Thermam.* Idem lib. 2. (p. 52 = 41): *ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, ἢ περὶ Θέρμην, καὶ ἐν τῇ παρὰ Ἀξιὸν* (sic) *ποταμὸν χώρᾳ*: *in Macedonia, vel circa Thermam, et in Axii fluminis regione.* Idem lib.

Thermarum (coll. Steph. Byz. s. v. *Θέρμα*), *thermis* sic dictis deberi, non temere quis contendet. Suntque etiamnunc istic locorum thermae, non ipso quidem Thessalonicae loco, nec tamen ita remotae (in meridionali sc. urbis latere), quin ab iisdem urbs instaurata vel inde transposita potuerit denominari. Vide tabulam geographicam partis Macedoniae, annexam itinerario Cousineryano, quae thermas illas (*bains minéraux*), flumini cuidam vicinas, trium fere leucarum Gallicarum spatio ab urbe Thessalonica remotas esse monet. Accedat alius testis satis locuples, Plinius maior N. H. 4, 10 (17) (si lectio sana): *In ora sinus Macedonici oppida Chalastra, et intus Phileros, Lete: medioque flexu litoris Thessalonica, liberae conditionis. Ad hanc a Dyrrhachio CXIV millia passuum. Therme.* Ultimum nomen in vulgarem formam *Thermae*, s. potius *thermae*, melius mutabitur, ni Plinius ipse vetus Thessalonicae nomen memorare voluit; quo concesso, antecedens sententia pro parenthesi habenda erit, et voculam aliquam intercidisse putabis ante Plinianam vocem *Therme.* Dein miraberis, quod Chalastra Plinius memoret, ut singulare istius orae oppidum, cuius incolae diu ante a Cassandro, Macedonum rege, cum aliorum oppidorum hominibus in urbem Thessalonicam transpositi sunt, teste Strabone, cuius locus infra afferetur. Verum de his v. nos paulo inferius.

Venio ad novissimum urbis nomen, quod primus Graecorum, quorum scripta habemus, Polybius memorat 23, 4, 4. 11, 2. 29, 3, 7., duplici utens *τ* pro duplici *σ*. Adde Liv. 39, 27. 40, 24. Duravit haec denominatio apud scriptores utriusque linguae, nisi quod Strabo geogr. lib. 7, 7. forma utitur *Θεσσαλονικεία*, quam alibi non puto memoratam lubens damnarem, nisi Stephani Byzantii (s. v. *Θεσσαλονίκη*) auctoritate niteretur, qui eam affert ut Strabonianam. Straboque ipse ter eodem capite habet (*μέχρι Θεσσαλονικείας . . ἀπὸ Θεσσαλονικείας . . Θεσσαλονικείας, Μακεδονικῆς πόλεως*). Habet etiam Strabonianus epitomator finis libri VII (*ἕως Θεσσαλονικείας*); sed formam vulga-

4. (p. 93 = 73): *τήν τε Θέρμην τοῖς Ἕλλησιν ἀπέδωκε: Thermamque reddidit Graecis (Turcarum imperator)*. Id. ib. (p. 94 = 74): *καὶ τῇ τε Θέρμῃ πόλεμον ἐπήνεγκε: Thermaeque bellum intulit.* Id. ibid.: *καὶ Θέρμην, ἣν ἐπολιόρκει: et Thermam, quam obsidebat.* Id. ibid. (p. 108 = 85): *ἐπὶ τὴν Θέρμην Ἑλληνίδα: adversus Thermam, urbem Graecam.* Id. ibid.: *ἐς τὴν Θέρμην: Thermam.* Id. ibid.: *ἐς τὴν Θέρμην: Thermam.* Id. ibid.: *ὁ μέντοι τῆς Θέρμης ἄρχων: Thermae praefectus.* Id. ibid.: *ἐπὶ τὴν Θέρμην: Thermam.* Idem Ibid. (p. 109 = 86): *Ἀνδρονίκῳ μὲν τήν τε Θέρμην ἐπέτρεψεν οἰκεῖν: Andronico Thermam concessit habitandam.* Id. ibid.: *καὶ τὴν Θέρμην ἀπέδοτο τοῖς Οὐενετοῖς: Thermamque Venetis vendidit.* Id. lib. 5. (p. 125 = 98): *τὴν μέντοι Θέρμην τῆς Μακεδονίας ἀπέδοντο Ἑνετοῖς: Thermam Macedoniae vendiderunt Venetis.* Id. ibid.: *Ἀμουράτης μὲν δὴ ἐπὶ Θέρμην μετὰ ταῦτα ἐστρατεύετο: Amurates itaque dehinc adversus Thermam profectus est.* Id. lib. (p. 171 = 134:) *ἀπὸ Θέρμης τε καὶ Λίμνης τῆς Περραιβῶν: a Therma et Limna Perrhaeborum.* Idem Laonicus Epidamni, Byzantii, Hellenum (*Ἑλλήνων*) nomine semper utitur, nunquam Dyrrachii, Constantinopoleos, Romanorum (i. e. Graecorum) etc. Sunt archaismi hominis docti, capta perditaque patria ad nominum incunabula recurrentis. Antiquiorum regni Byzantini scriptorum aliquem ita locutum nondum ego inveni, praeter Strabonis lib. VII. fin. epitomatorem (*μετὰ Χαλάστρας καὶ Θέρμης*).

rem idem doctus paulo post repetit (ἡ Θεσσαλονίκη ἐστὶν πόλις). Formam itaque *Θεσσαλονικεία* si quis depravatam putat, is ante Stephanum Byzantium (sec. V.), siquidem is ipse sanus est, codices Strabonis eam invasisse statuet. — Formam depravatam *Salonichi* primi rerum Italicarum medii aevi scriptores praebent. Anonymi Chronicon Fossae Novae ad annum 1185 (Muratori script. rer. Itall. Vol. 7. p. 875. D.): *In festo S. Bartholomaei* (24 Aug. 1185) *adepti sunt* (Normanni) *Saloniciam cum multis civitatibus et castellis et roccis de Romania.* Desinit hoc chronicon a. Chr. 1217. Ea forma num Italis an Graecis ipsis debeatur, melius nobis ii definient, quibus facultas data est inspiciendi chronici Nicetae Choniatae mixo-barbari ms., eiusdem auctoris, qui chronicon puri sermonis edidit, manu elaborati, quod in variis bibliothecis asservatur. Linguam quidem neograecam iam seculo XII valuisse, nobis non uno testimonio constat. Eodem dicendi compendio poetis Germanicis sec. XIII nomen urbis audit *Salneck*, cuius vocis ultimam syllabam (*Eck*) in nominibus arcium Germanicarum non raram esse, vix est, quod moneam. Nomine igitur *Salneck* non semel tantum utitur auctor poematis: *Hugdieterich's Brautfahrt und Hochzeit.* Herausgeg. von Oechsle. Oehringae 1834. De quo poemate in parte dissertationis geographica agemus. *) Verum ab his verborum apicibus ad historiam redeundum videtur.

Thermae urbis instauratio novique nominis inventio utri debeatur, Philippo, an Cassandro, eiusdem genero, Macedonibus, de eo iam veteres quaesivisse, e Stephani Byzantii plenius infra proferendo loco non immerito suspicari posse mihi videor. Varias s. narrationes s. opiniones iunctim tradit seculi XII scriptor Tzetza chil. X, 174, sqq. hist. 316. p. 369. ed. Kiessl. (coll. eodem Tzetza chil. XIII, 395, sqq. hist. 486. p. 490. ed. cit.):

*) Aliam Thessalonicam tu noli quaerere, quanquam in latina Rustici S. R. E. diaconi circa annum 547 facta versione Actorum concilii Chalcedonensis anno Chr. 451. habiti (Mansi concil. T. 7. p. 702. B.) haec subscriptio viri sancti legitur: *Perrebius, episcopus Thessalonicensium Sardanorum, subscripsi.* In his *Sardanorum* insanum esse, cuivis patet; Rusticusque ipse admonet, in codice Acumitensi scriptum esse *saltuum*; quos *Saltus* regionis Thermopylarum nomen tum fuisse puto, praeeunte iam Livio, qui bis (36, 15, 5. 7.) *saltum Thermopylarum* memorat, ut iugum singulare satisque spatiosum. Admissa hac lectione, antecedentis vocis (*Thessalonicensium*) corruptela nemini dubia erit. Lege *Thessalicorum*, quae emendatio unicuique se probabit, qui de Graeco nomine *Θεσσαλικῶν* cogitaverit, quod facile in *Θεσσαλονικέων* mutavit librarius, cui Thessalonica, nobilis civitas, magis obvia erat, quam Thessalia, iam tum fere ad barbariem Slavicam redacta. Thessaliae vero et Thessalonicae nomina apud librarios confundi, Stephani Byzantii de urbibus locus docet s. v. *Θεστίδειον*: *Θεστίδειον* (immo *Θετίδιον*, quod Pharsalis Thessalicis vicinum, coll. Polyb. 18, 3, 6. 4, 1. Strab. 9, 5.), πόλις Θεσσαλονίκης. Ultima velut sana legunt docti. Tu repone *Θεσσαλίας*. Urbs enim Thessalonica nunquam oppidum Thetidii (Thetidii) nomine in sua ditione habuit. De alia Thessaliae nominis apud librarios depravatione v. Nos in Dilucidatt. Pindarr. vol. I. p. 672. not. 21.

Ἡ νῦν Θεσσαλονίκη μὲν, πόλις ἡ λαμπροτάτη,
Ὑπῆρχε κώμη, Θέρμη δὲ τὴν κλῆσιν ἐκαλεῖτο.
Καὶ μέχρι νῦν τὸ πέλαγος τὸ τῆς Θεσσαλονίκης
Θερμαῖος κόλπος λέγεται, ἀπὸ τῆς Θέρμης κώμης·
Ἣν πόλιν κτίσας Κάσσανδρος, γαμβρὸς ὢν τοῦ Φιλίππου,
Θεσσαλονίκην κέκληκεν εἰς ὄνομα συζύγου
Θεσσαλονίκης, θυγατρὸς τελούσης τοῦ Φιλίππου.
Κτίζει καὶ τὴν Κασσάνδρειαν, εἰς ὄνομα οἰκεῖον.
Ἄλλοι τὸν Φίλιππόν φασι κτίσαι Θεσσαλονίκην,
Στοργῇ παιδὸς, ἧς ἔφημεν ἄρτι, Θεσσαλονίκης·
Ἄλλοι δ', ὅτι ἐνίκησε τοὺς Θετταλοὺς πολέμῳ.

I. e. Quae nunc Thessalonica est, urbs splendidissima, fuit pagus, Thermae vero nomine vocata. Atque etiamnunc mare Thessalonicense sinus Thermaeus dicitur, a Therma pago. Quam urbem condens Cassander, gener Philippi, Thessalonicam vocavit, in nomen coniugis Thessalonicae, quae filia erat Philippi. Condidit etiam Cassandriam, in suum proprium. Alii Philippum aiunt condidisse Thessalonicam, caritate filiae, quam modo diximus, Thessalonicae: alii vero, quod Thessalos bello vicerat.

Harum narrationum secundam, quae Philippum e Thessalonica filia urbi nomen imposuisse refert, disertis verbis in Etymologico M. s. v. inveni, minus aperte apud Stephanum Byzantium l. c.; verum non ea illius natura est, ut fidem mereat. Philippum enim, Alexandri Magni patrem, Philippos, Thraciae (Macedoniae) urbem, Crenidas ante dictam, ex se cognominasse, nota quidem res est: nondum tamen audivi, liberorum quoque nominibus, quos e variis mulieribus suscepisse constat, ad eandem rem usum. Deinde Nicasipolis Pheraea, e qua Thessalonicam susceperat, nobili quidem loco nata erat: sed principem coniugum locum obtinebat Olympias, Neoptolemi, Molossorum regis, filia, non mediocrem posthac nominis sui famam in rebus Macedonicis adepta, Alexandri Magni mater (Diodor. Sic. 19, 51).

Maiorem veri speciem tertia Tzetzae narratio prae se fert, tum per se spectata, tum propter eorum, qui diu ante chiliadum concinnatorem eam tuiti sunt, auctoritatem. Imperatores dico Romanorum, Julianum et Constantinum Porphyrogenitum. Thessalonicam urbem a victoria quadam Macedonum Thessalica dictam, tam verisimile videtur, ut Graecorum equidem ingenium valde mirarer, si ea s. narratione s. opinatione prorsus abstinuissent. Concedo quoque aliquantulum mortalium istorum dignitati, quos terrarum dominos purpurae fasciumque fatalis necessitas reliquorum cervicibus imposuit. Nihilominus tamen scrutandum, verene narratio sit ista, an etymologia? Audiamus primum eorum testem, quo antiquiorem haud novi, Julianum imperatorem, qui oratione tertia, post annum puto Christi 356 scripta, haec habet (Opp. ed. Ez. Spanhem. p. 107. C.): *Ἆρ' οὖν ἔτι χρὴ διὰ μειζόνων τεκμηρίων δηλοῦν, ὡς ἔνδοξος μὲν ἡ Μακεδόνων καὶ μεγάλη τὸ πρόσθεν γένοιτο, ταύτης δὲ αὐτῆς τὸ κράτιστον ἡ πόλις ἐκείνη, ἣν ἀνέστησαν, πεσόντων, οἶμαι, Θετταλῶν, τῆς κατ' ἐκείνων ἐπώνυμον νίκης; Numquid ergo maioribus opus est documentis monstrare, illustrem magnamque olim extitisse tum Macedonum civitatem, tum huius ipsius partem potissimam, urbem illam, quam condidere caesis, puto, Thessalis, cognominatam ex victoria ab iis reportata?* Quae quid sibi velint, pronum videtur et apertum. Imperator Romanus non famam aliquam obscuram refert de Thessalonicensis nominis origine, sed suam opinionem expromit, ut orator grammaticusve. Jam audiamus sequentis aevi scriptorem, Stephanum Byzantium, qui s. v. *Θεσσα-*

λονίκη haec habet: *Θεσσαλονίκη, πόλις Μακεδονίας, ἥτις ἄρα ἐκαλεῖτο Ἁλία, Κασσάνδρου κτίσμα· ἢ ὅτι Φίλιππος τοῦ Ἀμύντου, ἐκεῖ Θετταλοὺς νικήσας, οὕτως ἐκάλεσε: Thessalonica, Macedoniae urbs, quae nimirum Halia dicebatur, a Cassandro condita: vel quia Philippus, Amyntae filius, devictis ibi Thessalis, eam sic nominavit.* Vides, quaesitum a Graecis quibusdam fuisse, utri nomen urbis novum debeatur, Philippo, an Cassandro eius genero, Macedonibus? Ceterum Stephanus, vel qui opus eius ante nostrum tempus locupletavit mutavitve, ut prudens lexicographus litem non dirimit, sed partes adversas iuxta ponit. Stephani vero locum quicumque diligentius inspexerit, me non monente originem totius commenti de Philippo Thessalonicensis nominis inventore sponte deprehendet. Urbs dicebatur *Thessalonica.* Quamnam quaeso ob causam? Ob Thessalos devictos. Sed ubi terrarum? *Ibi locorum* (*ἐκεῖ*). Julianus hoc imperator nondum ausus erat pro certo habere, vel adeo publice affirmare. Verba facit de Thessalis devictis, atque inde urbis nomen manasse suspicatur, Philippi nomine non addito. Aliter posterioris aevi homines docti, qui opinationibus suis locum et tempus commodum assignantes, veritatem insuper habuerunt. Quonam enim Macedoniae loco Thessalos debellavit Philippus? Num ad Thermam urbem? Tacet historia. Thessali a Philippo in Thessalia non semel tantum victi sunt, in Macedonia nunquam. Sed operae pretium videtur, vocis istius *ἐκεῖ* (*ibi*), immo depravationis historicae vestigia apud sequentium seculorum scriptores sectari. Constantinus Porphyrogenitus imperator de thematibus sive provinciis imperii Graecorum (2,4), qui liber saeculo X scriptus est: *Ἔχει δὲ ὀνομασίαν ὑπὸ τοιαύτης αἰτίας. Φίλιππος, ὁ Ἀμύντου, Θεσσαλοὺς ἐκεῖ νικήσας, τῇ θυγατρὶ καὶ τῇ πόλει ὁμωνύμως τὸ ὄνομα ἔθετο: habet autem (Thessalonica urbs) nomen suum talem ob causam. Philippus, Amyntae filius, devictis ibi Thessalis, filiae urbique aequivoce nomen imposuit.*

Satis puto explosis secunda Tzetzae tertiaque narrationibus, de prima denique videndum erit, quae Cassandrum, Philippi in Thessalonica filia generum, novi nominis inventorem urbisque instauratorem fuisse tradit. Eam chiliadum auctor aperte ut veram adoptat, quod bonum sane doctumque; nec tamen multum id momenti haberet, ni alii testes accederent. Taceo de Zonara, eiusdem, cuius Tzetza, scil. duodecimi seculi auctore, qui hist. libro 12, 26 (ad Claudii II imperium) haec habet: *Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκουν, ἣ πάλαι μὲν Ἠμαθία καλεῖσθαι λέγεται, Θεσσαλονίκη δὲ μετονομασθῆναι ἐκ τῆς Φιλίππου μὲν θυγατρὸς, Κασάνδρου δὲ γυναικὸς, Θεσσαλονίκης: Thessalonicam* (Scythae i. e. Gothi) *oppugnabant, quae olim Emathia nominata esse dicitur, Thessalonica vero, mutato nomine, e Philippi filia, Cassandri autem muliere, Thessalonica.* Sed videndus antiquior scriptor anonymus apud Stephanum Byzantium (s. v. *Θεσσαλονίκη*): *Θ., πόλις Μακεδονίας, Κασσάνδρου κτίσμα: Thessalonica, urbs Macedoniae, a Cassandro condita.* Strabo deinde afferendus is sit, nec ne, pro certo equidem habere non ausim, quamquam eiusdem nomen paulo inferius apud Stephanum Byzantium l. c. occurrit. Jam vero

ipse prodeat Strabo, qui libro VII fin., sive eius epitomator §. 10., ὅτι, ait, *μετὰ τὸν Ἀξιὸν ποταμὸν ἡ Θεσσαλονίκη ἐστὶν πόλις, ἣ πρότερον Θέρμη ἐκαλεῖτο. Κτίσμα δ' ἐστὶν Κασσάνδρου, ὃς ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς, παιδὸς δὲ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου, ὠνόμασεν. Μετῴκισεν δὲ τὰ πέριξ πολίχνια εἰς αὐτὴν, οἷον Χαλέστραν, Αἰνείαν, Κισσὸν καί τινα καὶ ἄλλα: post Axium flumen Thessalonica est urbs, quae antea Therme vocabatur. Condidit eam Cassander, qui e nomine coniugis suae, filiae Philippi, qui Amyntae filius, nominavit. Transposuit vero contermina oppida in eam, e. g. Chalestram, Aeneam, Cissum atque alia quaedam.* Huius narrationis licet epitomatae fidei quid adversetur, ego nondum perspexi. Taceo de antiquitatis momento, cui tamen in hac quaestione, ni alia succurrant, non tantum equidem tribuerim, quantum Eichhornius (Introduct. in libros N. T. Vol. 3. Parte 1. p. 54. not.); magis ea movent, quae idem locus de historia urbis instauratae singularia subiungit, quaeque fingendi probabilem rationem nemo facile inveniet.*) Accedit reliquarum narrationum fides perquam dubia; quod ego ut primus monstravi, ita veniam intelligentium precor, si alia non ad liquidum perduxero, alia secus iudicavero. Veteris Macedoniae historia monumentorum raritate ita laborat, ut vix alia antiquae historiae provincia; dein imperii alicuius particula, licet ea postmodum imperii eiusdem locum occupavit, raro primum memoratur, frequentius deinde. Quod ipsum maxime in Thessalonicam cadit. Ea enim urbs, ante Avarorum, Bulgarorum, Gothorum, Hunnorum, Normannorum, Sarazenorum, Sclavinorum incursiones, i. e. ante seculum Christi tertium, parcius audita, eam deinde celebritatem suis sive opibus sive calamitatibus nacta est, ut postremo, captâ per Francos a. p. Chr. 1204. Constantinopoli, secundum, haud raro primum illorum regnorum locum obtineret. Verum de his, sc. de rebus Thessalonicae ultimis atque hodiernis, alias disserere animus est: nunc incunabula urbis repetemus, atque historiam eius membratim (quid aliud?) ad annum post Chr. n. 1185 in hoc lucubrationis nostrae stadio deducemus. Quod ut via et ratione fiat, de incolis urbis quaedam praemonenda videntur.

Graecos potissimum ab antiquissimis temporibus Thessalonicam incoluisse, vel nomina urbis Graeca docent. Accedunt numi civitatis imperatorii, qui ne tum quidem, quum colonia Romana eo deducta esset (sunt tempora Decii), lingua Graeca reiecta Latinam adoptarunt. Philipporum quoque, Thraciae (Macedoniae) urbis, numi linguam Graecam nunquam deposuerunt, quum reliquae Romanorum coloniae Graecae pridem Latino sermone in numis suis uterentur, coll. Eckhelio D. V. N. T. 2. p. 80. Thessalonicensium vero vel adeo Thermaeorum numos sub Macedonum imperio non magis anquires, quam aliarum eiusdem regni urbium, coll. Tittmanni li-

*) Gravius antiquitatis testimonium, ab omnibus doctis neglectum, alii huius commentationis loco de industria reservamus.

bro: Darstellung der griech. Staatsverfassungen. Lips. 1822. p. 395. Extat quidem numus, cuius altera pars inscriptum habet *ΚΑΣΑΝΔΡΟΥ* (Cassandri) cum capite Minervae galeato, altera *ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ* (Thessalonicae) cum equo decurrente et clava in area, coll. Eckh. l. c. T. 2. p. 115. Verum *Θεσσαλονίκης* nomen Cassandri regis coniugem spectabit, non urbem eiusve Nympham. Alios urbis numos (si vere sunt urbis nostrae), imperatorum quorundam Byzantinorum Sanctique Demetrii, qui est Thessalonicensium Rossorumque patronus, imagines et nomina habentes, alio huius dissertationis loco exponemus. Nunc videndum de Graecae linguae fatis apud Thessalonicenses per medii aevi decursum. Taceo de seculis Christi tertio et quarto, quae paulo inferius illustrabo, ubi ad Decii imperatoris tempora descendero. Taceo de seculo sexto et sequentibus, quae tum in censum nostrum venient, ubi Avarorum et Sclavinorum res Thessalonicenses trademus. Graecos vero urbis primarios incolas vel seculo post Chr. n. duodecimo fuisse, eius rei documentum est Eustathius metropolita, cuius homiliae graece scriptae ibique habitae non solum linguae veteris usum, verum elegantiora eius studia inter urbis illius incolas evidentissime testantur. Thessalonica, ut nunquam destructa est, ita ne sub Turcis quidem urbs vere Graeca esse desiit, licet minuto incolarum numero vel aucto pro temporum aliarumque rerum ratione. Eadem conterminae Chalcidices, terrae spatiosae, conditio, quae Graecos hodiedum incolas fere solos habere fertur (Cousinéry l. c. vol. II. p. 134), cum Thessalonicae latus boreale, sive Macedoniam primitivam stricteque sic dictam, item terram Strymoniam, i. e. latus orientale, per ultima decem secula Bulgari tenuerint, coll. Cameniata cap. 7. Tzetz. chil. X. hist. 316, 185 sqq. Cousinéry l. c. vol. I. p. 52. Verum de his infra exponetur.

Latini nominis homines, quum Macedonia post Andrisci Alexandrique rebellionem ante Chr. 149 Romanis plenius parere coepisset, numero magno istas terras ut alias provincias petiisse, nemo infitias ibit, qui vel Ciceronis orationes non inspexerit. Experta Macedonia, ut aliae orbis partes, publicanos Romanorum, mercatores, item comites proconsulum Romanorum in provincias abeuntium. Et vexatam Macedoniam ipsamque Thessalonicam a Romanorum magistratibus, Ciceronis oratio adversus L. Pisonem, Macedoniae proconsulem, habita (c. 17. 34. 35), docet; testatur anno post Christum decimo quinto senatus decretum, quod Tacitus affert annal. 1, 76: *Achaiam et Macedoniam, onera deprecantes, levari in praesens proconsulari imperio tradique Caesari placuit.* Colonia Romana, seculo tertio eo deducta, quomodo urbem affecerit, deinceps videbimus.

Pergimus ad alios urbis incolas, licet non pleno civium iure per medium aevum quandam urbis partem tenentes. Sunt hi mercatores Italici, quorum cum Graecis istius temporis commercia, ex aliis scriptoribus nota (Cinnamus hist. lib. 4. p. 305—7. ed. Toll.), aliquanto nunc plenius illustrabo. Ac primum quidem numerus eorum, qui Comne-

norum aevo Peram, Constantinopoleos partem, habitavere, nemini antea notus, nunc patefiet. Fuere amplius sexaginta millia, quum Andronicus Comnenus, imperium affectans, magnam eorum, scilicet Alexii sociorum, stragem, funestam imperio Graecorum futuram, a. p. Chr. n. 1182 ederet. Vide Eustathii metropolitae narrationem de capta a Normannis Thessalonica cap. 28. sq. (Opuscc. p. 275). Sedebant ibi, *burgesiorum* (bourgeois) nomine, quod ius eorum non plenum significat (Cinnam. l. 4. p. 307. Du Cang. in Glossariis s. v.). Singularem mercatorum extraneorum, et quidem Italicorum, ordinem Thessalonicae quoque fuisse, eodem nomine insignem, nemini quidem dubium esse poterat, mercaturae per medium aevum exercitae non plane ignaro; sed deficiebant historica rei testimonia. Hoc quoque eadem Eustathii narratio prodit l. c. cap. 72. p. 290.; unde simul partem urbis singularem, velut hodiedum, illos tenuisse intelliges, coll. iis, quae in parte dissertationis geographica de isto urbis vico exponemus. Dicit enim metropolita l. c.: *ἐκ τοῦ κατὰ τοὺς βουργεσίους πύργου: ex turri, quae est vico burgesiorum contigua.* Alium eiusdem locum de his Latinis inquilinis v. infra.

Mercatorum genti modo memoratae accedat aliud, Judaeorum inquam; deinde Armeniorum. Et illos quidem medio primo post Servatorem natum seculo intra ipsa urbis Thessalonicae moenia numero haud exiguo habitasse, sacraque sua in synagoga ibidem extructa exercuisse, D. Lucae Acta Apostolorum cap. 17, 1. 17. docent, qui liber 16, 13. alios itidem Judaeos in vicinis Macedoniae urbibus domicilia cum aediculis sacris, extra muros positis, habuisse testatur. Thessalonicensium Judaeorum fata, quae proximis post Christum natum seculis fuerint, tacet historia; quod non mirabitur, qui nec Thessalonicae christianae prorsus rudis extiterit. Huius autem ipsius memoria ante seculum quartum non clare repetitur, cuius annum tertium (303) S. Demetrii martyrium insigne fecit, non contemnendum historiae testimonium, quae vel tum fuerit sacrorum nostrorum per Macedoniam conditio. Graecos enim Thessalonicenses non tantum ludorum suorum, quibus non ultimum locum in rebus veterum gentilium aestimandis assigno, admodum studiosos, verum etiam sacrorum suorum valde curiosos fuisse, persuasum ex quibusdam habeo; neque omnino exploratum videtur, quo aeculi quarti anno civitas illa, Graecarum urbium si non princeps, tamen secunda vel tertia, incolarum opibus ac luxurie, verum etiam rerum suarum defendendarum constantia et fortitudine nunquam non clara, ad Christi signa transierit. Quod post annum 342 factum, non credibile videtur. Eo enim anno Thessalonicensis episcopus Aëtius concilio Sardicensi interfuit, coll. eius concilii actis can. 16. (apud Mansium concil. Vol. 3. p. 17, 18). Anno vero 337 Constantinus Magnus paganis sacrificia publica interdixerat, coll. Euseb. vitâ Constantini 4, 23. Theodos. Cod. 16, 10, 1. Sed Judaeorum Thessalonicensium prima post D. Lucam mentio non antiquior videtur seculo duodecimo, coll. testimoniis paulo post afferendis. Tempore intermedio qui status eorum fuerit, ego quidem ut alia quaedam nescire ingenue fateor; aevo tamen

imperatorum Byzantinorum humiliorem eorum conditionem fuisse, is non addubitabit, qui ecclesiae orientalis circa sacra sua constantiam s. tenacitatem noverit, cuius laudis non ultimum testimonium *orthodoxae urbis* cognomen esse videtur, quod Thessalonicae nostrae datum e solo Cameniata cap. 3 intellexi. Judaeorum itaque Thessalonicensium memoria seculo duodecimo reviviscit; accedunt Armenii. Utrorumque meminit Eustathius oratione de capta a Normannis Thessalonica cap. 113 (Opusc. p. 298), ubi de extrema civium miseria et fame loquitur: *Ἰουδαίῳ μὲν γὰρ καὶ Ἀρμενίῳ, οὓς ἡ ἀγχιτέρμων Κρανία καὶ Ζεμενίκος φέρβουσιν, ἐπεμέτρει, ἐς ὅσον τε καθῆκον ἦν, καί τι καὶ εἰς ὑπέρμετρον· ἑαλωκότι δὲ πολίτῃ ἐλάχιστον, εἴ που καὶ ἐπιστραφείη αὐτοῦ: Iudaeo enim Armenioque, quos contermina nutrit Crania et Zemenicus,* (barbarus Normannus) *largiebatur (panem), quantum conveniebat, atque supra mensuram quoque: capto vero civi minimum, si vel rationem alicubi eius haberet.* Idem epistolâ XXXIII., quam officii causa ut metropolita oecumenico misit, i. e. Patriarchae Constantinopolitano (Opusc. p. 339. 340): *Ἐγὼ δὲ καὶ ἔτι τολμῶν* *) *δέομαι. Ἐπί τινων πρὸ ἐμοῦ τοῦ ἀχρειοτάτου ἁγίων ἀρχιερέων παρεχωρήθησαν Ἑβραῖοι πλατυνθῆναι· οὐκ οἶδ', εἴτε κατὰ λήθην, εἴτε καὶ κατὰ εἴδησιν ἐκείνων, εἴτε καὶ κατὰ θείαν τινὰ κέλευσιν. Καὶ ᾤκησαν οἱ μὲν ἐν ἐρειποτοπίοις χριστιανικοῖς, ἀνοικισθεῖσιν ὑπ' αὐτῶν· οἱ δὲ καὶ ἐν οἰκήμασιν, ἐν οἷς ᾤκουν χριστιανοί· ὧν οἰκημάτων τινὰ καὶ θείοις εἰκονίσμασιν ἠγλαΐζοντο, καὶ ἐψάλλοντο· καὶ οὐδεὶς ἦν ἕως καὶ χθὲς ὁ λαλῶν. Ἄρτι δὲ ἔκ τινος ἐριθείας ἐλαλήθη τὸ πρᾶγμα· καὶ ἐμοῦ τὸ ἐντεῦθεν ἀναγκαίως ὑποκινήσαντος, ἐδόθη πρός τινων καὶ κατάστιχον. Καὶ ἔχουσι τοιαῦτα οὐ μόνον ἡ μητρόπολις, ἀλλὰ καὶ ἕτερα πρόσωπα. Ὅτι γοῦν ἐμοὶ οὐκ ἐκγενήσεται, εἰς τὸ πᾶν κατορθῶσαι, εἰ μὴ ἐκ τῆς μεγάλης ἁγιωσύνης σου συνετισθῶ, ἵνα καὶ ὑπακούωμαι, τολμῶ καὶ ἐρωτῶ, τί ὀφείλω ποιῆσαι· ἵνα προσκυνήσας ἐγχειρήσω καὶ τελειώσω εἰς ἀγαθόν.* I. e. *Insuper vero haec quoque precari audeo. Sub quibusdam ante me inutilissimum sanctorum pontificum concessum Hebraeis suas sedes dilatare: haud scio, utrum per oblivionem eorum, an conscientiam, an imperiale aliquod iussum. Atque habitabant alii eorum in aedibus Christianorum dirutis, quas ipsi instaurarant; alii in domiciliis, quae Christiani incolebant, quorum domiciliorum quaedam sacris imaginibus ornata erant, psalmisque resonabant; neque erat ad crastinum usque diem, qui enuntiaret. Sed nuperrime ob contentionem quandam enunciata res est: cum-*

---

*) Formulam *τολμῶν δέομαι, τολμῶ καὶ ἐρωτῶ* etc., in libris Byzantinorum supplicibus, ad maiores magistratus vel ad imperatorem missis, vulgarem fuisse, praeter nostram epistolam docet Atticorum eiusdem aevi ineditus supplicationum libellus (*ὑπομνηστικόν*, *promemoria* dixeris), contra tributorum acerbitatem ad Alexium imperatorem fine seculi XII missus; qui cum ad illostrandam imperii Graeci oeconomiam publicam aliquid conferre videatur, alio huius dissertationis loco, ut primum talium supplicationum editum exemplar, evulgabitur.

que ego pretinus, ut aliter fieri non poterat, actionem instituissem, facta a quibusdam aestimatio est. Talia vero non sola metropolis *) *habet, sed etiam aliae personae. Jamque mihi cum non obtingere videatur rem penitus componere, nisi a magna tua Sanctitate edoctus fuero, ut mihi obsequium praestetur, rogare audeo, quid facere debeam; ut venerabundus negotium aggrediar, adque finem bonum perducam.* His addo locum eiusdem scriptoris non minus memorabilem (Opuscc. p. 66), quem ex homilia sumtum esse, praemonendum videtur: *Ἢ τί ἄλλο τὸ Ἑβραϊκὸν φῦλον ἀφῆκε τῇ Χριστιανικῇ πολιτείᾳ καὶ συμπαροικεῖν, καὶ ἐλέους τυγχάνειν, καὶ τρόπον τινὰ συζῆν; Οἷς θρησκεύειν ἀφίεται, ὡς αὐτῷ φίλον, καὶ τῶν ἀναγκαίων πάντων μετέχειν, τῶν μὲν ἀφθόνως, τῶν δ', ἐφ' ὅσον ἔξεστι. Καὶ μὴν διακρίσεως μὴ προϋπαρχούσης, μηδὲ συγγνώμης ἐφεπομένης, οὐκ ἂν ἦσαν παρ' ἡμῖν οὔτε Ἰουδαϊκὰ φῦλα, οὐδὲ μὴν τὰ τῶν κακῶν Χριστιανῶν, τὸ δὲ μεῖζον οὐδὲ τὰ τῶν ἀθέων.* I. e. *An quid aliud* (sc. *quam ratio habita atque inde nata venia et indulgentia*) *gentem Ebraeorum in civitatem Christianam immigrare sivit, una habitare, misericordia dignari, et quodammodo convictam agere? Quibus sacra sua exercere permissum est, ut ipsis videtur, rerumque omnium necessariarum participes fieri, aliarum abunde, aliarum, quantum licet. Ac revera, ni ratio ac discrimen antea haberetur, ac venia sequeretur, non esset inter nos neque Judaeorum turba, neque etiam Christianorum malorum, quodque maius, nec atheorum.* Inter hos mali Christiani sunt Latini, Armenii, alii; athei sunt Muhammedani, quibus pridem synagoga concessa in urbe Constantinopoli, coll. Du Cangio in Constantinopoli christiana 2, 15, 2. Et vides, qui Graecorum tum temporis animus fuerit in varias istas gentes. Minima odii pars in Judaeos cadebat; maior in Christianos, ecclesiae orthodoxae non parentes; maxima in Muhammedanos, de quibus iterum monebo, ubi ad Eustathii vitam descendero. Ceterum Muhammedanos in agro Thessalonicensi habitasse, neque proditum omnino est, neque docet Eustathii locus modo allatus. Estque alia quoque causa, qua motus Muhammedanos seculo duodecimo vel paucissimos vel nullos Thessalonicae fuisse crediderim. Magnae Normannorum copiae quum anno 1185 Thessalonicam cepissent, nullam nationum, quibus hostilis exercitus constitit, immitius in Graecos grassatam scio, quam Saracenos, coll. Eustathii narratione de capta a Normannis Thessalonica cap. 123 (Opuscc. p. 301); qui locus cum alio Eiusdem loco conferendus erit, sc. oratione anno auspicando habita cap. 28 (Opuscc. p. 157), ubi illos Sarazenos non Thessalonicenses, sed Siculos, immo Afros fuisse, luculenter edocemur. At vero, si duplex Muhammedanorum genus, Thessalonicensium et Siculorum, in vexatione Graecorum conspirasset, eius rei mentionem metropolita vix omisisset.

*) I. e. ut persona juridica spectata.

2..

Venio ad Armenios, quos agri Thessalonicensis incolas seculo duodecimo fuisse, Eustathii locus supra allatus testatur. Et memorabilis ibi iuncta Judaeorum Armeniorumque mentio, quam in hodierna rerum Turcicarum historia frequentem esse, non est quod moneam. Quodsi vero (ut supra monuimus) Thessalonicenses Graeci Armenios, ut alios homines ritus non Graeci, odio habebant, non soli hoc ecclesiae orthodoxae tribuendum erit, sed ipsis quoque Armeniis, quos in ista Normannorum obsidione, ac deinceps, cum victores urbem iam tenerent, nefanda adversus Graecos patrasse, ego primus ex eodem Eustathio monstrabo, qui doctus narrationis citatae capite 114 (Opuscc. p. 298. 299) haec habet: *Ἀλλ' ἅμα ὑπεκρουσάμην Ἀρμενίους, καὶ ζέσιν ἔπαθον περικάρδιον, ἐννοησάμενος, ὁποῖα κακὰ καὶ αὐτοὺς ὁ βάσκανος δαίμων ἡμῖν προσέθετο, ἔξω μὲν πρὸ τῆς ἁλώσεως ἐν ὄντας τοῖς πολεμίοις, καὶ θερμοτέρους ἐκείνων εἰς τὰ καθ' ἡμῶν ἀποδεικνυμένους κακὰ, ἐν ἐφόδοις, ἐν λόχοις, ἐν προόδοις ταῖς εἰς λείαν, ἐν μηχαναῖς, ἐν ἐκφάνσεσι τῶν λανθανόντων· ἔσω δὲ δεσπόζοντας ἡμῶν καὶ αὐτοὺς, ἀπειλουμένους, ἐπιτάσσοντας, ἀποστεροῦντας, τύπτοντας, ἄγχοντας τοῖς ὠνίοις. Ἀρτίσκον γὰρ παλάμῃ περιληπτὸν, ὃν ὀβολοῦ ἄν τις τιμήσαιτο, πολλοῦ αὐτοὶ ἐσταθμῶντο, καὶ Λατινικῶς καὶ αὐτοὶ ἡμᾶς ἀπέπνιγον. . . . Οἱ δὲ ἐξώλεις Ἀρμένιοι λέγονται καὶ καταμιαίνειν ἡμῖν τοὺς ἄρτους.. Τοιοῦτον δέ τινα μιασμὸν διαῤῥέει φήμη καὶ ἐκ τῶν Λατίνων πάσχειν ἡμᾶς. Ἔλαιον γὰρ πιμελαῖς καὶ στέασιν ἐγκατακεραννύντες, ἐγίνοντο τοῖς ἀγαθοῖς Χριστιανοῖς αἴτιοι τοῦ παρανομεῖν τὴν νηστείαν τὴν κατὰ τὰς τετράδας καὶ παρασκευὰς κ. τ. λ.* I. e. *Verum ego cum mentionem facio Armeniorum, fervorem sentio praecordiorum, reputans, quale incommodum et ipsos malevolus spiritus nobis apposuerit, extra quidem ante expugnationem conspirantes cum hostibus, et calidiores illis in perniciem nostram se praestantes in pugnis, insidiis, excursibus praedae causa factis, tormentis bellicis, enunciatione rerum latentium: intus vero imperantes nobis et ipsos, minitantes, iubentes, privantes, verberantes, angentes in rebus venalibus. Panem sc. pusillum, palma capiendum, quem obolo quis aestimaret, magni taxabant, Latinoque et ipsi modo nos stringebant. . . Exsecrandi autem Armenii etiam inquinasse nobis panem dicuntur. . . Eiusmodi vero quandam inquinationem rumor incedit a Latinis quoque nos passos. Oleum enim adipe lardoque miscentes, bonis Christianis auctores extitere violandi ieiunium diebus Mercurii ac Veneris*, rell. Ubi obiter monendum videtur, hos Armenios eosdem esse cum illis, qui Craniae ac Zemenici habitabant, et capta demum urbe in hac ipsa grassatos ut saevos rerum necessariarum mercatores; Latinos vero, distinguendos a Latinis Normannis, habitasse intra moenia urbis ut inquilinos. Eosdem Armenios, odio puto adversus Graecos, alienorum sacrorum impatientissimos, paucis annis post Philippopoli cum Friderici I. Suevi exercitu cruciato non honestius conspirasse, testis est Nicetas in Isaacio Angelo II, 3. Armeniorum Thessalonicensium proximo aevo fata equidem ignoro. Magnam vero omnium ibi rerum mutationem post-

modum factam, inde iure meritoque conîicies, quod in actis concilii Sisensis Armeniorum (Mansi concil. T. 25 p. 140), anno 1370 habiti, Thessalonicensium Armeniorum episcopi nomen legitur, Jesaiae. — His praemonitis historiam, immo fragmenta historiae Thessalonicensis tradernus; sequetur geographica urbis agrique adumbratio; postremo illustrissimi Thessalonicensium metropolitarum Eustathii vita, mores et scripta illustrabuntur.

Thermae pristinae s. Thessalonicae non merum nomen, sed res eius primus tradit Herodotus libro VII, 121 sqq. 188., in enarranda Xerxis contra Graecos expeditione, qui aestate anni ante Chr. 480 cum exercitu suo in istas regiones delatus, Therma ut stativis utens, aliquamdiu ibi commoratus est. Iis ipsis diebus copiae Persarum pedestres amplam inter Thermam Ludiamque et Haliacmonem fluvios planitiem; naves, Chalcidices promontoria legere sinumque Thermaicum ingredi iussae, ut exercitum comitarentur, Axii fluminis ostia et mare urbi Thermae reliquisque urbibus proximum tenebant. Tali hospitio ut par esset Therma, jam tum non infimae sortis oppidum, sive *κωμόπολις* esse debebat; quod omnino Herodoti innuit narratio. Omnis autem ille Europae tractus, Hellesponto Thessaliaeque interiacens, Persis jam ante Xerxis adventum parebat, Megabazi primum (a. ante Chr. 514 sqq.), deinde Mardonii armis (492) devictus (Herodot. 7, 108., coll. 4, 143 sq. 5, 1 — 22. 6, 45. sqq.). Eadem Macedoniae conditio, cuius partem jam tum Thermam fuisse, in tanto veterum silentio ego neque affirmaverim, neque negaverim; quamvis Joannes Cameniata, seculi post Christum natum decimi scriptor, in libello suo de capta a. 904 per Sarazenos Syriae Tripolitanos Thessalonica Macedonibus tum temporis Thermam assignare videtur: scripsit autem Cameniata librum suum exeunte anno Christi 904, vel insequenti. En eius viri verba (cap. 8): *Τὸ δὲ πρὸς νότον αὐτοῦ χθαμαλόν τέ ἐστι παντελῶς, καὶ πρὸς πόλεμον ἀπαράσκευον. Οἶμαι γὰρ, τῷ μηδεμίαν ὑφορᾶσθαι προσβολὴν βλάβης ἐκ τοῦ πρὸς θάλασσαν, ὁ τεχνίτης πάλαι τῆς οἰκοδομῆς κατημέλησε. Φέρεται δέ τις καὶ παλαιὸς λόγος, μέχρις ἡμῶν φθάσας, ὡς ἀτείχιστος ἦν ἐξ ἐκείνου τοῦ μέρους ἡ πόλις χρόνους πολλοὺς, εἰ μὴ τῷ δέει ποτὲ τοῦ Μήδων Ξέρξου, πλωτὴν γῆν τεκτηναμένου, καὶ κατὰ τῆς Ἑλλάδος στρατοπεδεύσαντος, καὶ πολλὴν πληθὺν ἐπιφερομένου, ὁ τῶν Ῥωμαίων τὰ σκῆπτρα κατὰ ἐκείνους τοὺς καιροὺς ἰθύνων, μικρόν τινα καὶ ὡς ἐκ τοῦ παρατυχόντος φραγμὸν τῷ τῆδε παρέθηκε μέρει. Ἀφ᾽ οὗ δὴ χρόνου καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο τὸ αὐτὸ τοῦτο διαμεμένηκεν, οὐδέποτε τῆς ἐκεῖθεν βλάβης, ὡς ᾤετο, καὶ ἐν ὑπονοίᾳ τισὶν ἐσομένης.* I. e. *pars illius* (muri) *meridiem spectans humilis est ac prorsus depressa, belloque plane inutilis. Nam reor, artificem, quod nullam ex maris ora hostium impetum metueret, structuram antiquitus neglexisse. Fertur autem vetus rumor ad nostra haec tempora delatus, urbem ex ea parte per multos annos muro caruisse, donec Xerxis quondam Medorum regis timore, qui terram navigabilem fecit, et*

Graeciam bello petiit, multasque copias secum duxit, Romanarum rerum tum temporis moderator pusillo aggere, atqae occasio se talerat, eam partem circumsepsit; ex quo inde tempore ad nostrum aevum idem ipse agger duravit, qaasi nunquam isthinc damno, ut putabat, ne per cogitationem quidem alicui eventuro. Observandum de hoc Cameniatae loco, Romanorum imperatorem e posteriorum sensu dicendique usu Graecum fuisse (s. Macedonem, s. regem urbis ipsius); deinde parte urbis meridionali non portum eiusque litus spectari, sed latus urbis vere meridionale, quod ad Chalcidicem pelagusque Aegaeum vergit, coll. iis, quae de munimentis urbis infra narrabimus. Ceterum disertis verbis auctor narrationis perhibet, ad suum usque tempus famam de aggeris illius contra Xerxem facti exstructione durasse; cui domesticae Thessalonicensium famae neque minorem ego neque majorem fidem attribuo, quam Attici alicujus scriptoris narrationi de primis Athenarum suarum antiquitatibus, e. g. de muro arcis Pelasgico, et quae sunt huius generis.

Darii Xerxisque aevo Therma (Thessalonica) num liberae conditionis fuerit, an Macedonibus jam paruerit, nemo facile in tanta Macedonicarum antiquitatum obscuritate exputabit. Utut tamen statueris, omnis ista regio tum temporis sui iuris non erat, cum ea, quae Hellesponto Thessaliaeque interiacent, Macedonibus non exclusis, Persarum imperio subiecta fuerint, coll. Herodoto 7, 108.

Proximo dehinc tempore urbis nomen in Graecorum annalibus tacetur, nec antea eius mentio recurrit, quam paulo ante bellum Peloponnesiacum, cuius initium in Olymp. 87, 1. incidit, sive a. 431 ante Christum natum. Ad annum igitur 432 haec habet Thucydides 1, 61: *Οἱ ἀφικόμενοι ἐς Μακεδονίαν πρῶτον, καταλαμβάνουσι τοὺς προτέρους χιλίους Θέρμην ἄρτι ᾑρηκότας, καὶ Πύδναν πολιορκοῦντας: qui* (Atheniensium duces in Chalcidicen propter Potidaeae defectionem missi) *delati primum in Macedoniam, inueniunt mille priores* (popularium suorum), *qai Thermam modo ceperant, et Pydnam obsidebant.* Ea tempestate Thermam Macedonum fuisse, Thucydidis locus disertis verbis non docet, sed alius eiusdem scriptoris, scil. 2, 29: *ξυνεβίβασε δὲ καὶ τὸν Περδίκκαν τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ Θέρμην αὐτῷ ἔπεισεν ἀποδοῦναι: conciliavit quoque* (Nymphodorus Abderita, Sitalcis, Thracum regis, ad Athenienses legatus) *Perdiccam Atheniensibus, mouitque eos, ut Thermam illi redderent.* Factum hoc anno belli Peloponnesiaci tertio, ut videtur, ante Chr. 429. Urbem vero non exigui momenti fuisse, id ipsum docet, quod in ista pace cum Atheniensibus facta mentio illius disertis verbis iniicitur.

Anno a. Chr. 360 factum, ut in regno Macedonum maximae turbae orirentur, et Pausanias Macedo regnum affectaret; quod Aeschines narrat oratione de falsa legat. 31, 36 (p. 211 sq. Reisk.): *Παυσανίου δ' ἐπὶ τὴν ἀρχὴν αὐτῶν* (filiorum Amyntae, sc. Alexandri, Perdiccae, Philippi) *κατιόντος, φυγάδος μὲν ὄντος, τῷ καιρῷ δ' ἰσχύοντος, πολλῶν δ' αὐτῷ συμπραττόντων, ἔχοντος δὲ Ἑλληνικὴν δύναμιν, εἰληφότος δὲ*

'Ανθεμοῦντα καὶ Θέρμαν (Θέρμην) καὶ Στρέψαν, καὶ ἄλλ' ἄττα χωρία, Μακεδόνων δὲ οὐχ ὁμονοούντων, ἀλλὰ τῶν πλείστων τὰ Παυσανίου φρονούντων· ἐπὶ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐχειροτόνησαν στρατηγὸν 'Αθηναῖοι ἐπ' 'Αμφίπολιν 'Ιφικράτην: cum vero Pausanias regnum eorum affectaret, exul quidem, sed per temporis opportunitatem validus; cumque illum multi adiuvarent, haberetque Graecum exercitum, atque Anthemuntem cepisset, item Thermam, Strepsam et alia quaedam loca, Macedones vero inter se dissiderent, sed plerique Pausaniam sectarentur: ea tempestate Athenienses Iphicratem Amphipolin miserunt. Eas turbas Philippus, Thebis ut obses habitus, deinde in patriam redux, quomodo composuerit, regnumque adeptus sit, rerum Macedonicarum scriptores fusius narrant.

Venio ad aevum aliquanto posterius, quo Therma, nomine suo deposito, *Thessalonica* dici coepit; quod per neminem alium, quam Cassandrum Macedonem factum, supra docuimus. Nomen vero e Cassandri coniuge Thessalonica urbi inditum, ibidem monstravimus. Extat de hac femina memorabilis locus apud Stephanum Byzantium (s. v. *Θεσσαλονίκη*, coll. Diodor. Sic. 19, 52), quem nunc afferam: *Λούκιλλος δὲ ὁ Ταῤῥαῖος περὶ Θεσσαλονίκης βιβλίον ἔγραψεν, ὅς φησιν, ὅτι Φίλιππος, θεασάμενος κόρην εὐπρεπῆ καὶ εὐγενῆ ('Ιάσονος γὰρ ἦν ἀδελφιδῆ), ἔγημε, καὶ τεκοῦσα τῇ εἰκοστῇ ἡμέρᾳ τῆς λοχείας τέθνηκεν. 'Αναλαβὼν οὖν ὁ Φίλιππος τὸ παιδίον, ἔδωκε Νίκῃ τρέφων (τρέφειν), καὶ ἐκάλεσε Θεσσαλονίκην· ἡ γὰρ μήτηρ τοῦ παιδίου Νικασίπολις ἐκέκλητο: Lucillus (Lucillius) vero Tarraeas de Thessalonica librum conscripsit, qui Philippum, ait, puellam visam formosam ac nobilem (Jasonis*) enim erat filia ex fratre), uxorem duxisse; cum vero peperisset, vigesima post partum die mortuam. Susceptam igitur Philippus infantem Nicae educandum tradidit, ac Thessalonicam vocavit. Mater enim infantis Nicasipolis vocata fuerat.* Ubi obiter moneo, nutricem, Nicae nomine, electam videri non solum in coniugis memoriam similiter vocatae; verum etiam ominis causa victoriae de Thessalis reportandae: vel hos jam devicerat.

Oppidorum in urbem Thermam a Cassandro Macedone transpositorum primum est Chalastra, quod inter Axii ostia Thermamque situm fuisse, excerpta e fine libri septimi Strabonis §. 9. aperiunt his verbis: *ἐξίησι μετὰ Χαλάστρας καὶ Θέρμης*: *in mare effunditur* (Axius) *inter Chalestram et Thermam.* Adde Plinii locum supra allatum p. 3. Idem vero Strabonianus epitomator §. 10., ut Plinius l. c., oppidum illud *Chalastram* vocat. Ceterum post civium transpositionem non prorsus evanuisse, epitomatoris locus (§. 9) ante allatus, item Plinius l. c. non tecte docere mihi viden-

*) Sc. Pheraeus, tyrannorum Thessalicorum tum temporis potentissimus, coll. Xenoph. hist. gr. 6, 1, 4 — 7. 4, 20 — 31. Aristot. polit. 5, 2, 6. Adde Diodorum Siculum 15, 30. 54. 57. 60. Eum de Persarum regno expugnando cogitasse, antequam Philippo Macedoni idem in mentem venerat, testatur Isocrates ad Philippum §. 119. 120.

tur. Sequitur Aenea urbs, in altera sinus Thermaici ora, sc. orientali, posita, quam Crossaeam Herodotus 1, 123 dicit, Crusida Thucydides 2, 79; a Therma quindecim millia passuum abest (Liv. 44, 15), adversus Pydnam posita (Liv. ibid.), Corinthiorum colonia (Scymnus v. 627), ex incolarum opinione Aeneae Troiani (Liv. 40, 4), cui ut conditori sacrificium quotannis cum magna cerimonia faciebant, ut Livii verbis utar (40, 4). Tertium oppidorum est Cissus, eidem sinus orae imposita, propius Thessalonicae quam Aenea, si fides habenda tabulis recentiorum geographicis. Alia quoque oppida vicina Cassandrum in novam urbem transposuisse, Strabonianus epitomator loco supra allato testatur: quaenam ea fuerint, equidem nescio. Totum vero orae illius tractum diu ante, sc. jam Xerxis tempore, Macedonibus paruisse, inde quis non temere coniiciet, quod Anthemuntem urbem, inter Aeneam Cissumque sitam (Plin. N. H. 4, 10, 17), Perdiccas Macedo olymp. 68, 4 (a. Chr. 505) Pisistratidis exulibus habitandam obtulit, teste Herodoto 5, 94.

Age tempus Thermae renovatae s. Thessalonicae conditae diligentius jam definiamus, quod Diodori Siculi ope non improspere successurum, persuasum habeo. Is scriptor libro 19, 52. haec habet: *Κασσάνδρος δὲ, κατὰ νοῦν αὐτῷ τῶν πραγμάτων προχωρούντων, περιελάμβανε ταῖς ἐλπίσι τὴν Μακεδόνων βασιλείαν. Διὸ καὶ Θεσσαλονίκην ἔγημε, τὴν Φιλίππου μὲν θυγατέρα, Ἀλεξάνδρου δὲ ἀδελφὴν ὁμοπάτριον, σπεύδων οἰκεῖον αὐτὸν ἀποδεῖξαι τῆς βασιλικῆς συγγενείας. Ἔκτισε δὲ καὶ πόλιν ἐπὶ τῆς Παλλήνης, ὁμώνυμον αὐτοῦ, Κασσάνδρειαν* κ. τ. λ. I. e. *Cassander vero, cum rei ei ex sententia succederent, spem regni Macedonum concepit. Quare Thessalonicam in matrimonium duxit, Philippi filiam, Alexandri vero sororem eodem patre natam, ut scilicet iunctum se generi regio ostenderet. Condidit quoque urbem in Pallene, sibi cognominem, Cassandriam,* rell. Eo Diodori loco Thessalonicae urbis ab eodem Cassandro, tum nondum rege, conditae mentio omittitur; quod tu nolis cum Mannerto (Geogr. der Gr. u. Römer, T. 7. Landish. 1812. p. 471) ita interpretari, ut tum temporis homines parum ad eam rem attendisse putes, scilicet exiguam. Graecus enim auctor duas res de Cassandro narrat, quae ipsius nomen spectabant, cognationem eius cum familia Philippi regis, dein Cassandriae, urbis instauratae, ex se petitam denominationem. Praetermittit, quod coniugis honorem attinebat, Thessalonicae urbis nomen ex illa tractum. Neque equidem urbis huius instaurationem minoris momenti fuisse crediderim, quam ipsius Potidaeae (Cassandriae), immo maioris; quod mihi Thessalonicae situs luculenter persuadet. Sed videndum de anno Thessalonicae urbis natali. Olympiadis, Philippi viduae, Alexandri M. matris, caedes incidit in ol. 116, 1. (a. Chr. 315). Jam vero cum Diodorus Siculus Thessalonicae Cassandrique nuptias, item Potidaeae instaurationem, nulla alia re interiecta, post Olympiadis statim supplicium narret, non est, quod dubites, eodem anno, vel proxime insequenti, conditam esse cum Cassandria Thessalonicam, cuius rei honor coniugi recens nuptae

optime conferebatur. Et vide, ne Thessalonicensis numus, supra allatus p. 8., idem Cassandri filiaeque Philippi matrimonium spectet. De Nicasipoli vero v. quoque Paus. 9, 7, 3.

Hac dissertationis nostrae parte profligata, iam ad reliqua transeundum esset, ni testimonium veteris scriptoris a me supra sepositum iam subiungendum videretur, quo omnem doctorum dubitationem de vero Thessalonicae conditore exemtum iri confido. *) Est ille Strabone paulo antiquior Dionysius Halicarnassensis, qui Ant. Rom. 1, 49. haec habet: *Αὕτη διέμεινεν ἕως τῆς Μακεδόνων δυναστείας, τῆς κατὰ τοὺς διαδόχους τοῦ Ἀλεξάνδρου γενομένης. Ἐπὶ δὲ τῆς Κασσάνδρου βασιλείας καθῃρέθη, ὅτε Θεσσαλονίκη πόλις ἐκτίζετο· καὶ οἱ Αἰνειᾶται σὺν ἄλλοις πολλοῖς εἰς τὴν νεόκτιστον μετῴκησαν.* I. e. *Hoc oppidum* (Aenea) *duravit usque ad imperium Macedonum, quod Alexandri successores habuerunt. Sed Cassandro regnante eversa est, quo tempore urbs Thessalonica condebatur: atque Aeneatae cum multis aliis in hanc urbem recens conditam migrarunt.* In oppido autem Aenea, quod ex Dionysii mente potissimum eorum videtur, quorum cives Thessalonicam transponebantur, eandem scriptorum discrepantiam deprehendo, quam in Chalestra. Destructam dicit Aeneam Dionysius, cum Livius (40, 4. 44, 10) Persei aevo durasse dicat. Nimirum desolata Cassandri tempore, non vere eversa; postea alios incolas, forsan pristinorum quosdam, sacrorum suorum haud immemores (Liv. 40, 4.), adepta est, ut Chalestra; quod posterius oppidum Axio flumini propinquum praeter scriptores supra allatos testatur quoque Herodotus 7, 123.

Seculum ante Christum natum penultimum regno Macedonum fatale fuisse, aliunde constat. Victus a. 168 a Romanis ad Pydnam Perseus, avaritiae perfidiaeque poenas dedit; dein Romam abductus Albae quadriennio post in libera custodia decessit (Vellei. Paterc. 1, 11). Macedonia in provinciae formam redacta, ita tamen, ut haberent urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus; tributum dimidium eius, quod pependissent regibus, penderent populo Romano. Divisa terra in quatuor regiones, et caput unicuique urbs nobilior imposita. In eas urbes concilia suae cuiusque regionis indicere, pecuniam conferre, ibi magistratus creare iussi. Secundae regionis caput electa Thessalonica (Liv. 45, 29). Ceterum post proelium ad Pydnam commissum Beroea urbs primum, deinde Thessalonica et Pella, et deinceps omnis ferme Macedonia intra biduum dedita (Liv. 44, 45).

Ea tempestate Thessalonicae nomen saepius quam antea auditur; eandem et Cassandriam celeberrimas urbes Livius lib. 45, 30 dicit, ubi de Paullo Aemilio loqui-

*) Nuperrimi temporis theologi etiamnunc inter Philippum Cassandrumque ambigunt. V. *Pelt.* ad epist. D. Pauli Thessalonicenses (prolegom. p. IX. X.). *Schott.* ad epist. Thessalon. (prolegom. §. 1). Fluctuavit quoque Eckhelius in D. V. N. T. 2. p. 77. Confidenter Philippum conditorem dicit Cousineryus l. c. T. I. p. 42.

tur Macedonicas res ordinante. Sed videamus, quid vere momenti nostrae urbi aevo Macedonici regni tribuendum videatur. Jamque illud non in sola civitatis opulentia agrique mira ubertate deprehendo: situs loci ponderandus, portus, sinus, unde omnis, ni fallor, pendet historia Thessalonicensis; ut errare vix videantur, qui Thessalonicam maris Macedonici dominam a natura constitutam dixerint. Eam rem pars huius scriptionis geographica diligentius quidem examinabit; verum praelibanda quaedam de portu urbis, cuius primam mentionem non in Philippi, Persei patris, historia invenio (Liv. 40, 4.; ubi portus memoratus Aeneae urbis esse videtur, non Thessalonicae), sed in ea Macedonicae historiae parte, quae Perseum, Philippi filium, spectat. Videatur Livius 44, 10: *Perseus tandem a pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle, imperiis suis non obtemperatum esse, quum trepidans gazam in mare deiici Pellae, Thessalonicae navalia iusserat incendi.* Ex quo Livii loco id saltem sponte intelligitur, navale Macedonum isto aevo Thessalonicam fuisse, cum aliud eius regni navale nusquam memoretur. Debebant eam rem Macedones portus beneficio, quem seculo post Christum natum quarto a Constantino Magno extructum, inter alia mirifica narrat Zosimus hist. 2, 22: *Διανείμας δὲ τούτους ταῖς πόλεσιν, ἐπὶ τὴν Θεσσαλονίκην ἐχώρει, καὶ τὸν ἐν ταύτῃ λιμένα, πρότερον οὐκ ὄντα, κατασκευάσας, ἐπὶ τὸν πρὸς Λικίννιον αὖθις παρεσκευάζετο πόλεμον. Καὶ τριηκόντοροι μὲν εἰς διακοσίας κατεσκευάσθησαν, ναῦς δὲ φορτίδες συνήχθησαν πλέον· ἢ δισχίλιαι· πεζὸς δὲ στρατὸς, εἰς δώδεκα μυριάδας. Ἡ ναῦς καὶ ἵππος μύρια.* I. e. *His* (captivis Scytharum s. Gothorum) *in urbes distributis, Thessalonicam accessit* (Constantinus M. a. Chr. 322), *et portu confecto, qui antehac ibi nullus erat, rursus ad gerendum bellum contra Licinium se parabat. Naves enim, quae singulae triginta remis agerentur, ducentae instruebantur, et onerariae plures quam bis mille; peditum centum quoque et viginti millia, navalium et equestrium copiarum ad decem millia cogebantur.* Classem, e Graecia maiorem partem collectam, in Piraeum, Athenarum portum, primo convenisse, ibidem tradit Zosimus. Eadem, relicto Piraeo, Macedoniam petiit, deinde Hellesponti fauces, coll. eodem l. c. cap. 23. In his inauditum sane, quod portum Thessalonicae antea non extitisse Zosimus narrat, id quod mirum Cellario quoque (Notit. orb. ant. ed. Schwartz. T. I. p. 840. not.). Habuit nullo non tempore urbs opulentissima portum suum natura factum; quem arte emendatum, tacet quidem anterior historia; sed navale Macedonum (Liv. 44, 10) Thessalonicense facit, ut portui quoque vetus aevum curam impendisse ego nullus dubitem. Quanquam fieri potuisse fatendum est, ut quinque seculorum inter Perseum Constantinumque decursu portus a Romanis negligeretur, quorum classem Italiae litoribus apponi solitam constat; unde Thessalonicensium res nautica solis mercatoribus ipsique urbi curanda relinquebatur.

Andrisci rebellio, Romanis primo metuenda, deinde a Metello repressa (ante Chr. 149), Macedoniam servitute multavit (Flor. 2, 14). Ereptae populo libertatis reliquiae, missique a senatu Rom. proconsules cum summo imperio, qui ad reliquarum provinciarum formam omnia regerent. Jam facile evenit, ut inter eas urbes, quas Paullus Aemilius subacto a se regno praefecerat (Liv. 45, 29), una sensim reliquis excelleret, quod in Thessalonicam cadere, non est quod pluribus demonstrem. Novus rerum ordo urbem nostram, situ aliisque naturae beneficiis mirifice praevalentem, si non caput totius Macedonicae provinciae, tamen nobilissimam omnium atque opulentissimam fecit, quod testatur sub Christi natalia Antipatri Thessalonicensis locus (Anthol. gr. Lips. T. 2. p. 98. epigr. 14.), cui poetae Thessalonica *μήτηρ ἡ πάσης Μακεδονίας* dicitur, i. e. *totius Macedoniae mater*; quamquam *metropoleos* denominatio, in numis Thessalonicensibus frequentata, tempori posteriori deberi videatur.

Thessalonicam Ciceroni exuli (ante Chr. a. 58) refugium extitisse, ex ipso oratore cognoscimus (orat. pro Planc. 41.).

Maius urbis momentum initio belli civilis ante Chr. 49. 48. inter Julium Caesarem et Pompeium gesti. Dio Cassius 41, 20: *οἵ τε γὰρ ὕπατοι, πρὶν ἐκπλεῖν, καὶ ἐκεῖνος, ἅτε ἀντὶ ὑπάτων ἄρχων, πάντας αὐτοὺς ἐκέλευσαν ἐς Θεσσαλονίκην ἀκολουθῆσαι, ὡς τοῦ μὲν ἄστεος πρὸς πολεμίων τινῶν ἐχομένου, αὐτοὶ δὲ ἥ τε γερουσία ὄντες, καὶ τὸ τῆς πολιτείας πρόσχημα, ὅπου ποτ' ὦσιν, ἕξοντες: iusserant enim et consules ante suum discessum, et ipse* (Pompeius) *ex proconsulari imperio, ut omnes se Thessalonicam sequerentur, quandoquidem urbs* (Roma) *a parte hostium teneretur, ipsi vero et senatus essent, et reipublicae principem partem, ubicunque tandem locorum degerent, habituri.* Revera isto tempore Thessalonica Pompeianarum partium senatusque Romani sedes extitit, bellumque ex illa urbe (a. Chr. 49. 48.), licet negligentius, praeparatum, coll. Dione Cassio 41, 43. 44.

Sequitur bellum civile inter Brutum Cassiumque atque Antonium et Octavianum magna utrimque contentione in Macedonia gestum (ante Chr. 42). Stetit urbs nostra ut Lacedaemon e partibus Antonii atque Octaviani, quod e Plutarchi vita Bruti cap. 46. rite coniicies: *Ἐκ τούτου μὲν . . ὑπέσχετο καλῶς ἀγωνισαμένοις δύο πόλεις εἰς ἁρπαγὴν καὶ ὠφέλειαν ἀνήσειν, Θεσσαλονίκην καὶ Λακεδαίμονα: Pollicitus deinde ...* (Brutus in proelio Philippensi), *si fortiter pugnassent* (milites), *duas urbes permissurum ad direptionem utilitatemque, Thessalonicam et Lacedaemonem.* Addit Plutarchus l. c., fuisse hanc solam maculam vitae Bruti integerrimae adspersam inexcusabilem. Sed iure quodam egit Brutus, cuius provincia erat Macedonia (Appian. Illyr. 13.; bell. civ. 3, 2. 63. 4, 57. 58. 75), licet per Antonium abstracta (Appian. bell. civ. 3, 8. 4, 57). Ipse vero Appianus (bell. civ. 4, 118) totam narrationem de Thessalonicae Lacedaemonisque direptione militibus promissa in dubium vocare videtur, vel in medium relinquere, his verbis: *Δοκεῖ δέ τισιν, καὶ Λακεδαίμονα καὶ*

Θεσσαλονίκην ἐς ἁρπαγὴν αὐτοῖς δώσειν ὑποσχέσθαι: atque existimant quidam, *promisisse iis ad direptionem daturum Thessalonicam et Lacedaemonem;* quo loco Plutarchum tecte respicere mihi videtur. Ceterum qui hanc narrationem ut alia perpauca suis in D. Pauli epistolas Thessalonicenses prolegomenis praemittere solent, tanquam opum civitatis nostrae testimonium, eos nolim Lacedaemonem oblivisci iuxta memoratam, urbem non opulentam valdeque a Philippis remotam. Brutus imperator (si vera narrant historiae Romanae auctores) utramque urbem, non solum utilitati suorum consulens, sed etiam poenae causa diripiendam militibus concessit; qui incolis in servitutem abactis divenditisque si magnum sibi commodum enaturum sperabant, equidem non invideo. Lucrum tamen magnum fuisse negabit, qui misere tum ob bella civilia exhaustam omnem Macedoniam ex Appiano et Plutarcho cognoverit. De tempore his bellis priore v. Cicer. orat. in L. Pis. 17. 34. 35.

Anno proelii Philippensis Thessalonica cum Macedonia seculum secundum amissae post Andrisci rebellionem libertatis agebat. Salutaris vero urbi nostrae partium Antonii atque Octaviani assectatio. Eam enim *liberae conditionis* Plinius maior dicit N. H. 4, 10 (17): quod beneficium quando urbi evenerit, ubi e numis eiusdem monstravero, novam libertatem apertius exponam. Sunt autem numi Thessalonicensium Graeci, quibus inscriptum: *ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ*, cum Octaviae(?), Augusti sororis, capite; ibidemque *M. ANT. AYT. Γ. KAI. AYT.*, cum victoriae gradientis imagine, altera manu coronam, altera palmam tenentis. V. Eckhel. D. N. V. Vol. 2. p. 79. Mionnet. descr. de médaill. ant. Vol. 1. p. 495. Factos hos numos ob victoriam Antonii Augustique Philippensem et libertatem civitati donatam, rite statuit Eckhelius l. c. Et vide, ne Octaviae imago ideo apposita sit, quod multum huic mulieri in procuranda libertate Graeci debere putarint. Ludos quoque in eandem rem conditos, alii numi docent (Pellerin. melang. Vol. 2. p. 3. Eckh. et Mionn. l. c.), coll. iis, quae de re Thessalonicensium agonistica alio huius dissertationis loco monebimus. Sed videndum de ipso libertatis beneficio, Graecis ob fidem Antonio Octavioque praestitam honorifice concesso. *Libera civitas* facta Thessalonica, ut iusto nomine utar, cuius sensum melius aliis illustravit Dirksenius in: *Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Röm. Rechts.* Lips. 1823. (dissert. 4. p. 140 sqq.). Concessa igitur Thessalonicensibus autonomia, i. e. patrii iuris usus (Dirks. l. c. p. 146); liberum soli dominium (id. ib. p. 148); immunitas a perpetuo praesidio Romanorum militari (id. ib.), *) unde lux oboritur inscriptionibus Thessalonicensibus

*) Hae sunt libertatis, de qua agimus, notiones necessariae, coll. Dirks. l. c. p. 146. Aliae sunt fortuitae, coll. Eod. ib. p. 148 — 151. De causis huius libertatis donandae v. Eund. ibid. p. 153 seq.

(Gruter. inscr. p. 539, 9. 547, 2), quae de militibus quibusdam cohortium Romanarum ibi degentium agunt. Eae enim cohortes, quo tempore Thessalonica libertate sua gaudebat, perpetuam ibi stationem habere non poterant; quanquam ego nondum inveni, quamdiu sub Romanis statum suum liberum civitas nostra tenuerit.

Verum hoc dissertationis loco commode quaedam de forma civitatis Thessalonicensis post Macedonum imperium observabuntur. Aemilius Paullus, Persei victor, Amphipoli pro concione pronunciavit, *omnium primum liberos esse iubere Macedones, habentes urbes easdem agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus* (Liv. 45, 29). Quam ultimam liberae, non aristocraticae, civitatis formam esse, quivis concedet, vel non inspectis Divi Lucae Actis Apostolorum 17, 5: *προσλαβόμενοι δὲ οἱ Ἰουδαῖοι τῶν ἀγοραίων τινὰς ἄνδρας πονηρούς, καὶ ὀχλοποιήσαντες, ἐθορύβουν τὴν πόλιν· ἐπιστάντες τε τῇ οἰκίᾳ Ἰάσονος, ἐζήτουν αὐτοὺς ἀγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον: Judaei autem, adiunctis sibi circumforaneis quibusdam hominibus nequam, turba collecta, in civitate* (Thessalonicensi) *tumultum excitarunt, et Jasonis aedes adorti, ad populum eos* (Paulum et Silam) *producere conati sunt.*

His expositis videndum de variis Thessalonicensium magistratibus. Quorum summos *πολιτάρχας* dictos, Divi Lucae Acta Apostolorum testantur cap. 17, 6: *μὴ εὑρόντες δὲ αὐτούς, ἔσυρον τὸν Ἰάσονα καί τινας ἀδελφοὺς ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας: quos quum ibi non reperissent, Jasonem et fratres* (Jesu cultores) *quosdam ad summos civitatis magistratus protraxerunt.* Eorum politarcharum numerum non aperit D. Lucas l. c.; quod tamen enucleari posse video inscriptionis Thessalonicensis beneficio, quam secus a quibusdam intellectam hoc loco apponam. Muratori nov. thesaur. inscript. p. 595, 2: *Πολειταρχούντων Σωσιπάτρου τοῦ Κλεοπάτρας, καὶ Λουκίου Ποντίου Σεκοΐνδου, τοῦ Φλαυΐου Σαβείνου· Δημητρίου τοῦ Φαίστου· Δημητρίου τοῦ Νικοπόλεως· Ζωΐλου τοῦ Παρμενίωνος, τοῦ καὶ Μενίσκου· Γαΐου Ἀγιλληΐου Ποτείτου. Ταμίου τῆς πόλεως Ταύρου τοῦ Ἀμμίας, τοῦ καὶ Ῥήγλου· γυμνασιαρχοῦντος Ταύρου, τοῦ καὶ Ῥήγλου* [reliqua desunt]: *Summis civitatis magistratibus Sosipatro, Cleopatrae filio, et Lucio Pontio Secundo, Flavii Sabini filio; Demetrio, Fausti filio; Demetrio, Nicopolis filio; Zoilo, Parmenionis filio, qui et Meniscus; Caio Aquileio Potito. Quaestore civitatis Tauro, filio Ammiae, qui et Regulus; gymnasiarcha Tauro, qui et Regulus.* Ubi sex ego summos urbis magistratus deprehendo, non septem, quod Tittmanno videtur (Darstellung der griech. Staatsverfassungen. Lips. 1822. p. 398). Accedit quaestor civitatis, item rei agonisticae summus praeses. Marcum Thessalonicae politarcham alia eius urbis inscriptio memorat apud Belleyum in Memoriis regiae academiae inscriptionum a. 1777. parte hist. p. 125. Magistratus Thessalonicenses memorat quoque anno Christi 1328 Cantacuzenus hist. I, 54 (T. 1. p. 274. ed. Bonn.): *μετὰ τῶν ἐν τέλει, τῶν τε ἀφιγμένων σὺν αὐτῷ, καὶ οἳ ἦσαν ἐν Θεσσαλονίκῃ:* (deliberavit imperator) *cum magistratibus, tum iis, qui cum*

ipso venerant, tum iis, qui erant Thessalonicae. Senatus (βουλή) quin Thessalonicae, ut in aliis Graecorum liberis civitatibus, Romanorum tempore fuerit, nullus equidem dubito: sed desunt pristini aevi testimonia. Quid quod Byzantinorum imperatorum regno senatum Thessalonicensem deprehendo; sed incertum, quo sensu. Namque idem esse poterit cum politarchis modo allatis. Cantacuzenus igitur (ad annum Chr. 1322.) hist. I, 31. *συνῆλθον*, ait, *δὲ αὐτοῖς, πρὸς τὸν νέον βασιλέα, τῶν Θεσσαλονικέων καὶ τῆς συγκλήτου καὶ τῆς στρατιᾶς πολλοί: convenere illos, apud novum imperatorem, Thessalonicensium senatus atque exercitus multi homines.* Idem Cantacuzenus (hist. I, 56.) *συγκλητικοὺς* (senatorios) Thessalonicenses habet.

Nulla re magis Thessalonica inclaruit, quam primis fidei Christianae seminibus, quae D. Paulus ibi sparsit (D. Lucae Act. Apost. 17., coll. D. Pauli epistolis Thessalonicensibus); deinde S. Demetrii, urbis eius Rossorumque nunc patroni, martyrio; postremo orthodoxiae gloria. Tria haec ut proprium civitatis et peculiare decus Cameniata iungit narrationis de expugnata urbe per Sarazenos a. 904. capite tertio: *Ἡμεῖς, ὦ φίλος, πατρίδος ἐσμὲν Θεσσαλονίκης. Αὐτὴν γὰρ πρώτην γνωριοῦμαι σοι, δι' ἧς ἔγνων, ὧν οὔπω ἐγνώκειν πολλά· καί σοί γε γνωσθεὶς ἄρτι, τὴν περὶ αὐτῆς ἐκείνης γνῶσιν εἰσπράττομαι, πόλεως μεγάλης καὶ πρώτης τῶν Μακεδόνων· τἄλλα μὲν περιφανοῦς, οἷς σεμνύνεται πόλις, καὶ μηδεμιᾷ τῶν ἔγγιστα παραχωρούσης, μὴ ὅτι κατ' αὐτὴν ὀφθῆναι· περιφανεστέρας δὲ τὴν εὐσέβειαν, ἣν ἐξ ἀρχῆς ἐδέξατο, καὶ δεξαμένη μέχρι τοῦ νῦν διεσώσατο. Αὐτὸν γὰρ αὐχεῖ Θεσσαλονίκη τὸν Παῦλον ἔχειν τῆς εὐσεβείας διδάσκαλον, τὸ σκεῦος τῆς εὐλογῆς, ὃς ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ κύκλῳ καὶ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ τῷ εὐαγγελικῷ περιλαβὼν τὴν οἰκουμένην κηρύγματι, ἐν αὐτῇ μᾶλλον τὸν τῆς θεογνωσίας σπόρον κατέβαλε, καὶ πολύχουν ἀποδίδοσθαι τὸν τῆς πίστεως καρπὸν διεσπούδασε· μετ' αὐτὸν δὲ τὸν μέγαν ἐν μάρτυσι καὶ ἀξιοθαύμαστον ἐν ἀθλοφόροις Δημήτριον τὸν μυροβλύτην, πολὺν ἀγῶνα καὶ αὐτὸν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας καταβαλόμενον (καὶ γὰρ ἦν πρὸς τοῖς ἄλλοις τῆς ἀρετῆς αὐχήμασιν ἔτι καὶ θείοις ἐμπρέπων διδάγμασι, καὶ τῇ περὶ τῶν δογμάτων ἀκριβείᾳ κεκοσμημένος, ἐξ οὗ καὶ μᾶλλον τὸ περὶ αὐτοῦ διεδόθη κλέος τοῖς πέρασιν)· εἶτα τοὺς καθεξῆς ἀρχιερεῖς πάντας, τοῦ σωτηρίου λόγου ἀντεχομένους, ἐξ ὧν ἀεὶ καταρτιζομένη καὶ παιδαγωγουμένη τὴν θειοτέραν παίδευσιν, δαιμονιώδεις καὶ μυσαρὰς πλάνας καὶ δόξας καὶ εἰδωλικὰς εἰκαιομυθίας τοῖς τιμῶσι τοὺς δαίμονας ἀπεπέμψατο, ὀρθοδόξῳ δὲ διδαχῇ τὴν πίστιν σφραγίσασα, καὶ ζιζανιῶδες φυτὸν καὶ αἱρετικὸν καὶ ἀλλόφυλον οὐμενοῦν οὐδέποτε τῷ θείῳ σπόρῳ συγκαταδεξάσα, καθαρὰν καὶ ἀκίβδηλον διεσώσατο τὴν εὐσέβειαν· ἧς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα γνωρίσματα, ὧν ἡ φήμη τὰς ἀφορμὰς λαμβάνουσα, λαμπρὸν τὸ περὶ αὐτῆς ἐκήρυττεν ὄνομα· ἓν δὲ τοῦτο πρῶτον καὶ ἰδιαίτατον, τὸ ὀρθόδοξον αὐτὴν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, καὶ τοῦτο μᾶλλον ἤπερ τοῖς ἄλλοις σεμνύνεσθαι.* I. e. *Nostra, amice, patria Thessalonica est. Hanc enim primum tibi notam faciam, per quam mihi multa cognoscere licuit, quae antea nullus noveram; quique*

in tui iam cognitionem venerim, illius ipsius exactam edere cognitionem officii quasi iure a te compellor, urbis sc. magnae primaeque inter Macedonicas, aliis quidem rebus clarae, quibus urbs aliqua gloriatur, nulliqne proximarum cedentis, ut ea ne cerni quidem iuxta nostram queat; clarioris vero propter pietatem, quam a principio suscepit, susceptamque hactenus incolumem servavit. Ipsum enim Paulum, vas electionis, pietatis sibi gloriatur magistrum; qui ab Hierosolymis in circuitu, et usque in Illyricum, evangelica praedicatione terrarum orbem complexus, illi quam maxime divinae cognitionis semen commisit, uberemque fidei fructum surgere curavit. Post illum vero, inter martyres magnum interque victores coronatos admirabilem Demetrinm myroblytam (unguenta ebullientem), *qui mnlta et ipse pro pietate certamina suscepit: erat enim praeter reliquas virtutis laudes etiom divina doctrina conspicnns, exactaque dogmatum cognitione ornatus; quo magis etiam fama eius in orbis fines didita est. Tum qui deinceps secuti sunt, omnes pontifices, salutaris doctrinae strenuos assertores; quorum opera semper instructa atque edocta diviniorem disciplinam, daemoniacos detestabilesque errores ac opiniones idolorumque nugaces fabellas daemonum cultoribus dimisit; rectaeque opinionis doctrinâ fidem obsignans, et quidquid zizaniorum et haereticorum atque alienigenarum plantationis est, nulla ratione nulloque tempore divinae sementi coniunctam admittens, pnram illibatamque conservavit pietatem. Cnius cum alia multa signa suppetant, unde fama occasionem nacta clarum eius nomen divulgavit: tam unum illud primum maximeqne peculiare innotuit, quod rectae doctrinae tenax ea existat ac dicatur, hocque magis quam reliquis laudibus glorietur.* Harum ~~laudum tertia quando civitati nostrae~~ obtigerit, ego ut nescire ingenue fateor, ita Michaelem Lequinium valde miror, qui in suo metropolitarum Thessalonicensium catalogo (Orientis christiani parte II. p. 27 — 66) praeter alia a se commissa et omissa illam quoque notam sibi contraxit, quod nostrum hoc Cameniatae testimonium, in Thessalonicensi historia nemini praetermittendum, immo primo loco ponendum, ne digito quidem attigerit. Throni ecclesiaeque Thessalonicensis magnum quidem honorem semper fuisse, apud omnes doctiores satis constat, cuius rei documenta quaedam singularia in parte dissertationis geographica exhibebo: velim tamen ab aliis edoceri, quanam occasione honorificum *orthodoxae* nomen civitati sit inditum, a quo s. imperatore s. concilio, quaeque aliae sunt curiosioris doctrinae quaestiones. — Secunda urbis laus, S. Demetrii martyrium, paulo inferius a nobis tangetur, non ipsius Sancti gratia (is enim singularem spissique voluminis librum requirit), sed ob novos historiae Thessalonicensis, immo Byzantinae Slavicaeque fontes, quos ego in hunc totum literarum campum deinceps immittam. — Prima secundum Cameniatam urbis laus, sive doctrinae christianae ibi per D. Paulum praeconium, cui anno post Servatorem natum assignanda videatur, de eo

aliquam hominum doctorum contentionem video, qui dubii haerent inter annos post Christum 49 — 56., coll. Wurmii nostri docta sane acutaque commentatione: Ueber die Zeitbestimmungen im Leben des Apostels Paulus (Tübinger Zeitschrift für Theologie. 1833. p. 73 sqq. p. 102.). Ea quaestione theologis relicta, paucula de sacrorum ethnicorum morumque et institutorum statu apud Thessalonicenses primis aerae nostrae seculis subiungenda videntur. Testibus numis non alios, quam reliqui Graeci, deos coluere. Comparent in istis monumentis Jupiter, Apollo, Diana, Bacchus, Hercules, Neptunus, Minerva, al. (Eckhel. D. V. N. T. II. p. 70 — 80. Mionnet. descript. de médaill. ant. T. I. p. 490 — 504. Ramus. mus. Havn. T. I. p. 121 — 124. Mus. Hedervar. T. I. p. 107 — 109). Occurrere in iisdem et Janus dicitur (Eckh. l. c. p. 78., coll. Mionnet. l. c. p. 492.). Daemonum vero Thessalonicensium famosissimus deus Cabirus, coll. Firmico Materno de error. prof. relig. cap. 12: *Hunc eundem* (Corybantem) *Macedonum colit stulta persuasio. Hic est Cabirus, cui Thessalonicenses quondam cruentis manibus supplicabant.* Eius dei Thessalonicenses numi non infrequentes, coll. libris numismaticis modo citatis. Jam vero si sacra Cabiria in ista urbe non antiquiora imperatore Claudio dicit Cousineryus in itinerario Macedonico (Vol. I. p. 35. sq.), id quo iure contendi possit, ipse viderit. Talia si numi veterum publici iuris faciunt, ea pridem in vulgus nota receptaque esse debebant. Et Philippum, Alexandri Magni dein patrem, in insula Samothrace Cabiriis sacris cum Olympiade, quam adamabat, initiatum, e Plutarchi vita Alexandri cap. 2. satis constat. Ea autem sacra ex ista insula in Macedoniam immigrasse, non est, quod dubitem. Ceterum numorum eorum, quos omnes aevo Romano tribuo, spurcities (V. numos Cabireos ap. Cousineryum l. c. T. 2. p. 166. 180.) a perditis Thessalonicensium moribus, quales seculo Christi primo secundove fuisse feruntur, non procul abesse mihi videtur. Temporis autem decursu vel ea, quae initio non impura fuerant, communi omnium rerum labi obnoxia esse incipiunt. Templum Cabirium Thessalonicae fuisse, post Firmicum Maternum supra allatum dubitare vix licet; eademque Cousineryi sententia (l. c. T. 1. p. 34. 35.), qui vir doctus vetus aliquod fanum Thessalonicense, etiamnunc superstes, isti cultui satis confidenter assignat (l. c.).

Variis ludis homines civitatis opulentissimae delectatos fuisse, multa vetustatis monumenta testantur. Feruntur in numis ludi s. certamina Cabiria, Olympia, Pythia, Actia, Epinicia (Eckh. l. c. T. II. p. 77 sqq. Mionnet. l. c. T. I. p. 494 sqq.); quibus ego, quum eorum ratio iam in occulto sit, non immorabor. Ludos nescio quos in honorem et memoriam victoriae Philippensis a Thessalonicensibus conditos, numi supra (p. 20) memorati, testantur, coll. Pellerino recueil T. III p. XXIX. Eckh. l. c. T. 4. p. 433.; qui doctus posterior l. c. ἀγωνοθεσίαν in numis Thessalonicensibus aliisque obviam illustrat. Et Actia victoriam Augusti Actiacam spectare concederem, ni huic opinioni quaedam adversari viderem. Inter hos autem ludos

maxime curules atque equestres floruisse, persuadent numi cum equis gradientibus ac desultantibus (Eckh. l. c. p. 78. Mionnet. l. c. p. 492. al.). His adde, quae in parte dissertationis geographica de circo urbis hippodromoque exponemus. Erantque ea studia vel post conditam ibi fidem christianam ardentissima, quod sibi persuadebit, qui locos de Theodosii caede civibus illata deinceps laudandos diligentius inspexerit. Sunt hae superstitionis priscae reliquiae satis validae, novae Jesu doctrinae praeter alia, maxime morum labem, in urbe splendida diu puto infestae ac metuendae; quo spectat quoque Juliani imperatoris laus urbi nostrae tributa, cuius ego sensum tum illustrabo, cum ad coloniam Romanorum Thessalonicensem descendero. Morum autem labem, spectaculis obscoenis conspicuam, primus tangit Lucianus asini capite 50 — 52. Quam turpitudinem Divi Pauli aevo, sive seculo primo, cum theologis *) ideo nolim tribuere, quod non satis constat, utrum haec Lucianea narratio ipsi Luciano debeatur (s. seculo secundo), an Lucio Patrensi, cuius ille fabulam repetiisse fertur **). Vitam autem Thessalonicensium iam D. Pauli aevo variis maculis conspersam fuisse, per se non mirum videtur, atque ex ipsius apostoli literis eodem missis (1, 4, 3 — 6. 10. 11. 2, 3, 6. 11) satis abundeque apparet; vixque ad eam rem opus erat, asinum Lucianeum in scenam producere ***): quae bestiola ne hominibus piis doctisque imposuerit, est quod timeam. Namque Lucianea narratio fabulis Milesiacis accensenda est, quae veritatem historicam in singulis non sectantur; dein Appuleius, Luciano coaevus, in sua eiusdem plane rei narratione non Thessalonicam memorat, sed Corinthum, in cuius urbis theatro mulierem veneficam, a Luciano memoratam, adque bestias damnatam, singulari poenae genere ante ipsum supplicium asinus matrimonio sibi iuncturus erat (Appul. metamorph. lib. X. 224 — 237. p. 712 — 751. ed. Oudend.). Vides, notam Thessalonicae a theologis impositam ad Corinthum relabi. Verum quis tandem, ni fuerit ultimae credulitatis homo, a praetore populi Romani talem poenam malefico inflictam esse sibi persuadebit, qualem Lucianus Appuleiusque non narrant, sed per lusum fingunt? Ut paucis rem absolvam: uterque scriptor ad ultimam, quam dicunt, fabulae *καταστροφήν* properans, nefastam connubii asinini scenam in una alterave urbe opulenta producit; quod asinum, i. e. hominem in eam bestiam mutatum, ita affitit, ut prima occasione arrepta in libertatem se vindicet, formamque humanam recipiat, quod suo quisque modo haud ineleganter exponit.

---

*) *Pelt.* proleg. in epistolas Thessalonicenses p. XI.

**) Quid? quod Photius, e quo solo Lucium Patrensem novimus (biblioth. cod. 129), dubius haeret, Lucianus antiquior sit an Lucius? Mihi cum aliis Lucianus maiorem fabulam scripsisse videtur, cuius epitomen (quam inter Lucianea scripta ferri puto) serioris aevi auctor anonymus composuit. De alio Luciani scripto notho val interpolato (Philopatri) v. Niebuhrii praefationem ad Hasii editionem Leonis Diaconi Bonnensem p. IX.

***) *Hug.* Introd. in librr. N. T. ed. 3. T. 2. p. 341. *Pelt.* l. c. p. XI. not. 2.

Relicto seculo post Chr. natum secundo (id enim Luciani atque Appuleii fabella spectat, non primum), tertium lustramus, in historia Thessalonicensi variis nominibus memorabile. Hoc enim seculum agmen ducit bellorum, quae civitati nostrae iam Ciceronis aevo molesta *), Romanorum imperatorum regno, deinde per totum Byzantinae aerae decursum grassata, non semel ad internecionem perducere eam videbantur. Toto illo tempore (seculis inquam III — XV) capta quidem non saepius fuit quam ter (annis 904. 1185. 1430); obsessa vero maximis exercitibus toties, ut ego, obsidionum Thessalonicae Slavicarum primus investigator atque enarrator, reliquarum diligens scrutator, plures paene urbis obsidiones sileri in annalibus quam narrari existimem. Id enim momenti in hac regni Romani Graecique parte positum fuit, ut barbari septentrionales (Avaros dico, Bulgaros, Gothos, Hunnos, Sclavinos), sedes suas inter Danubium et mare mediterraneum figentes, securitati suae vix prospexisse sibi ipsi viderentur, nisi antea vel Constantinopolin vel Thessalonicam in suam potestatem redegissent. Et singulare divinae providentiae beneficium in ea re conspicio, quod tum, cum imperium Graecorum exitio tantum non proximum esset (tempora Mauritii dico et sequentium imperatorum), praeter Constantinopolin Thessalonica hostibus non dedita fuit; quo factum, ut medio inter urbem regiam ac Peloponnesum spatio propugnaculum maneret, unde Graeci exiguas imperii Europaei reliquias vel tutarentur, vel (quod Bulgarico aevo factum) augerent. De Sarazenis Syriae Tripolitanis, qui anno 904 Thessalonicam cepere, tacendum hoc loco; eorum enim expugnatio urbis rapina dicenda, non occupatio atque possessio. Aliter hostes occidentales, utriusque Siciliae Normanni, qui per omne Comnenorum Cpolitanorum aevum (a. 1081 — 1185) Thessalonicam magnis exercitibus appetere non desierunt, licet eâ non ante ultimum illorum principum, Andronicum tyrannum, a. 1185 potiti; quo demum successu freti, adversus ipsam Constantinopolin profecti, medio fere inter utramque urbem spatio, cum iam Hebro flumini appropinquarent, Alexandri Branae, Graecorum ducis, artibus repressi, adque Strymonem fluvium reiecti, interneciva clade extincti sunt. Idem de Turcis Adrianopolitanis dicendum, quos non ante captam a. 1430. Thessalonicam Byzantini regni reliquias eiusdemque caput aggressos constat. Tantum momenti fortissima civitas habere credebatur, ut, qui regni Grae-

*) Cic. orat. in L. Pis. 17: *Vexatio Macedoniae* (per Thracas)? *An oppidorum turpis amissio? An sociorum direptio? An agrorum depopulatio? An munitio Thessalonicae?* Idem ibid. 34: *Vectigalia nostra perturbarunt* (barbari vicini), *urbes ceperunt, vastarunt agros, socios nostros in servitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt, Thessolonicenses, quum oppido desperassent, munire arcem coegerunt.* De M. Fonteio, Macedoniam eodem tempore a Thracibus defendente, vide Cic. orat. pro M. Font. 16.

corum partem Europaeam evertere conabantur, vel illa sola capta dimidium operis peregisse putarent. Verum istuc, unde oratio nostra deflexit, recurrendum videtur.

Seculum Christi tertium agmen bellorum ducere supra dixi, quibus Thessalonicam indesinenter postmodo petitam aliis iam nunc plenius monstrabimus.

Primum eorum bellorum anno Chr. 253., vel paulo post, imperantibus Valeriano et Gallieno, accidisse dicitur. Zosimus hist. 1, 29: *Σκυθῶν δὲ ἐξ ἠθῶν ἀναστάντων, καὶ Μαρκομαννῶν πρὸς τούτοις ἐξ ἐφόδου τὰ πρόσοικα τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ ληιλατούντων, εἰς ἔσχατον μὲν ἡ Θεσσαλονίκη περιέστη κινδύνου. Μόλις δὲ καὶ σὺν πόνῳ πολλῷ τῆς πολιορκίας λυθείσης, τῶν ἔνδον καρτερῶς ἀντισχόντων, ταραχαῖς ἡ Ἑλλὰς ἐξητάζετο πᾶσα.* I. e. *Scythis* (Gothis) *autem ex sedibus suis egressis, praeterque hos Marcomannis quoque per irruptiones finitima Romano imperio loca depraedantibus, ad extremum redacta periculum Thessalonica fuit: cuius obsidione vix magno labore soluta, fortiter hosti resistentibus iis, qui in urbe erant, universa Graecia turbis afficiebatur.* Paulo haec plenius Zonaras narrat hist. 12, 23: *Οἵ τε γὰρ Σκύθαι, τὸν Ἴστρον διαβάντες, καὶ αὖθις τὴν Θρακῴαν χώραν ἠνδραποδίσαντο, καὶ πόλιν περιφανῆ τὴν Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκησαν μὲν, οὐ μέντοι καὶ εἷλον. Εἰς δέος δὲ τοσοῦτον ἅπαντας περιέστησαν, ὡς Ἀθηναίους μὲν ἀνοικοδομῆσαι τὸ τεῖχος τῆς ἑαυτῶν πόλεως...* I. e. *Scythae enim, Istrum transgressi, denuo terram Thraciam depopulabantur, urbemque inclytam Thessalonicam obsidebant quidem, nec tamen eam capiebant. Tantum autem terrorem omnibus incutiebant, ut Athenienses suae civitatis moenia reficerent...* Damna huius obsidionis Valerianum imperatorem colonia eo deducta refecisse, rei ~~numismaticae doctores contendunt~~, coll. Belleyo in Memor. Reg. acad. inscript. T. 38. part. hist. p. 129 sq. Eckhel. D. V. N. vol. 2. p. 80. *), qui posterior ibidem addit: *cum exstent eiusdem imperatoris* (Valeriani) *numi absque mentione coloniae, dubium non est, deductam eam Valeriano imperante.* Falluntur viri docti. Jam enim Decii imperatoris (a. Chr. 249 — 251) numi eandem inscriptionem prae se ferunt, coll. Dominico Sestinio: *Descrizione d'alcune medaglie greche*, rell. *Firenze* 1822. p. 24. tab. II. fig. 1. Legitur in Sestinii numo Thessalonicensi: *ΑΥΤΟ. ΚΑΙϹ. ΚΥΙΝ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΔΕΚΙΟϹ. ΑΥΓ.* Caput Traiani Decii radiatum, ipse cum paludamento. In altera parte: *ΘΕϹϹΑΛΟ . . . ΚΟ. ΜΗ. Δ. ΝΕΩΚΟΡΩϹ.* Quatuor ibi urnae, in quadrum dispositae; in unaquaque duo palmae rami. Colonia igitur Romana ante Valerianum et Gallienum imperatores (antiquiora nondum vidi) Thessalonicam deducta. Quod quare factum sit, urbemque (erat libera civitas) quomodo affecerit, ego non inveni; quamquam mihi verisimile

*) Inscribuntur ii numi: *ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩ.*, vel *ΚΟ.*, vel *CO.*, rell. Eaedem inscriptiones in numis Gallieni, Valerianum secuti, ac Saloninae. V. Mionnet. descr. de médaill. antiq. vol. 1. p. 504., coll. Eckh. l. c.

4..

videtur, imperatorem Romanorum exspectata populorum septentrionalium invasione Thessalonicam civitatem militari praesidio firmare voluisse; quod priscae reipublicae Romanae coloniis consentaneum fuisse, non est quod pluribus moneam *). Quinam coloni fuerint, Graeci, an alii, e. g. Itali, quis hoc iam definiet? Quanquam de ultimis dubitabit, qui, quae Italiae conditio seculo post Christum tertio fuerit, non indiligenter ponderaverit. Libera vero civitas num vel isto aevo Thessalonica fuerit, de eo nil proditum videtur **). Liberam conditionem si habuit, eam coloniâ deductâ mutatam vel imminutam non puto ***), quod numi quoque Thessalonicenses Graeci, isto Romani Imperii aevo facti, tacite innuunt, qui ipsi maxime autonomiam urbis, simul gratum civium animum ob coloniam deductam luculenter significant. Accedit aliud antiquitatis testimonium, non eiusdem quidem seculi, sed proxime sequentis, sc. Juliani imperatoris; qui oratione tertia post annum puto 356 scripta (Opp. p. 110. B. ed. Ez. Spanh.), *ὅτι δὴ γένος*, ait, *μὲν αὐτῇ σφόδρα Ἑλληνικὸν, Ἑλλήνων τῶν πάνυ, καὶ πόλις ἡ μητρόπολις τῆς Μακεδονίας κ. τ. λ.* I. e. *Genere illam* (Eusebiam imperatricem) *cumprimis Graeco, et ab germanis Graecis esse natam, eiusque patriam Macedoniae totius esse metropolin* (Thessalonicam)... Ex ea Eusebiae laude quid civitati nostrae assignandum sit, non admodum difficile intellectu videtur. Laudatur cum imperatrice urbs institutorum atque studiorum veterum titulo; quod minus Christianismi, quam Ethnicismi documentum quoddam esse, unusquisque concedet, qui Juliani imperatoris historiam non summis labiis attigerit. Idem vero orationis locus, quod eius auctor ab imperatore Decio toto seculo distat, plus momenti habet, quam si Decii aevo scriptus esset. Vides enim, vel seculo quarto Thessalonicam urbem (is Juliani sensus) dici *vere Graecam.*

Verum hac dissertationis nostrae parte praelibanda quaedam de metropoleos nomine, quod apud veteres isti civitati non semel tribuitur; diligentiorem huius tituli ponderationem parti geographicae de industria reservamus. *Matrem totius Macedoniae* (*μητέρα τῆς πάσης Μακεδονίης*) Antipatro, poetae Thessalonicensi sub Christi natalia, urbem nostram audire, supra monuimus p. 19. Quod nomen magis opulentiam eius, quam dignitatem vere civilem ac politicam significare, non est quod

*) V. *Walter*, Gesch. des röm. Rechts bis auf Justinian. Bonn. 1834. cap. X. p. 69 — 77.

**) Justinus hist. 33, 2: *Ita, cum in ditionem Romanorum cessisset* (Macedonia), *magistratibus per singulas civitates constitutis, libera facta est; legesque, quibus adhuc utitur, a Paulo accepit.* Ea verba, si Trogi Pompeii sunt, quem excerpsit Justinus, Augusti certe aevo Macedones suis saltem *legibus* vivebant, si vel alia libertate non gaudebant; quodsi Justini, huius certe, i. e. Antoninorum tempore, Macedones liberi quodammodo erant. Jamque Jul. Caesar (b. civ. 3, 34) partem Macedoniae affert, quae *libera* appellabatur, i. e. quartam, coll. ibi Oudendorp.

***) *Walter* l. c. cap. XXXI. p. 323 sqq.

fusius moneam. Aliter de *metropoleos* nomine iudicandum, quod tamen non ante tertium Christi seculum in Thessalonicensium monumentis occurrere, e Spanhemio pridem constat (Orb. Rom. exercit. II. cap. IX. ed. Lond. p. 289., coll. Eckhel. D. V. N. T. 2. p. 80.). Et memorabile in hac re, quod iidem imperatorum numi Thessalonicenses, qui civitatem nostram coloniam dicunt, eam simul metropoleos nomine ornant, Valeriani inquam, Gallieni, Saloninae (Eckh. l. c. Mionnet. descript. de médaill. ant. T. I. p. 504). Sed ante hos imperatores Herennii Thessalonicensis numus (imp. Decio) neocoratum et metropoleos nomen iungit, coll. Eckh. l. c. In numo autem urbis autonomo, qui tamen iudice Eckhelio l. c. p. 78. Decii regno vix antiquior, idem copulatur.

Gothis Thessalonicenses fortiter restitisse, supra monuimus; cuius laudis partem coloniae a Decio imperatore, qui cum Gothis deinceps apud Moesiam decertavit, in urbem deductae deberi, non est quod valde addubitetur. Paucis annis interiectis alia sequitur Gothorum obsidio, breviter memorata Trebellio Pollioni in Claudio cap. 9: *Pugnatum apud Thessalonicenses, quos Claudio absente obsederant barbari.* Pleniora diu post Zosimus praestat hist. I, 43: *Διά τοι τοῦτο τοῦ μὲν στενοῦ τῆς Προποντίδος ὑπανεχώρουν οἱ βάρβαροι, τὴν δὲ ἐπὶ Κυζικὸν ἔπλεον. Ἄπρακτοι δὲ διεκπεσόντες, καὶ παραπλεύσαντες τὸν Ἑλλήσποντον, ἄχρι τε τοῦ Ἄθω παρενεχθέντες, κἀκεῖσε τῶν πλοίων ἐπιμέλειαν ποιησάμενοι, Κασσάνδρειαν καὶ Θεσσαλονίκην ἐπολιόρκουν. Μηχανὰς δὲ τοῖς τείχεσι προσαγαγόντες, καὶ παρὰ βραχὺ τοῦ ταύτας ἑλεῖν ἐλθόντες, ἐπειδὴ τὸν βασιλέα προσάγειν ἐπύθοντο, εἰς τὴν μεσόγαιαν ἀναβάντες, τὰ περὶ Δοβῆρον ~~καὶ Πελαγονίαν ἐληΐζοντο~~ πάντα χωρία.* I. e. *Quare a faucibus Propontidis barbari* (Gothi) *recedebant, Zyzicam versus navigando. Atque re infecta illinc dilapsi, Hellespontum praeternavigabant, adque montem Atho delati, navium cura ibi instituta, Cassandriam ac Thessalonicam oppugnabant, machinis ad moenia admotis. Parumque aberat, quin eas caperent. Quum vero imperatorem adventare cum copiis audissent, in mediam terrae partem profecti, omnem Dobero et Pelagoniae circumiacentem regionem populabantur.* Imperator hoc loco memoratus est Claudius II., qui (ut Orosii hist. 7, 23 verbis utar) non biennium in imperio explevit (9 Cal. Apr. 268 — 270); is vero Gothos, iam per annos XV Illyricum Macedoniamque vastantes (Oros. l. c.), bello adortus, incredibili strage delevit, coll. Orosio et Zos. l. c.; qui posterior scriptor quinquaginta millia barbarorum in eo proelio caesa narrat. Adde Zonaram hist. 12, 26. Ceterum classis eorum (Zosimus l. c. dicit *μοῖρα, pars eorum*) Thessaliam et Graeciam praetervecta, terrasque apertas populata, Athenas cepit (Zonar. hist. 12, 26). A Thessalonicae obsidione *repulsos* dicit Zonaras hist. 12, 26 (*ἀλλ' ἐκείνης μὲν τῆς πόλεως ἀπεκρούσθησαν*). Fecit hoc solus Claudii imperatoris adventus supra narratus. Postremo nec hoc praetermittendum, utramque civitatem, Thessalonicam Cassandriamque,

monente Zosimi contextu, non ab ingenti Gothorum illo exercitu, qui e Moesia adventabat, oppugnatam videri (ei enim vix restitissent), sed a solis eorum classiariis; quos audito Romanorum adventu partem aliquam in superiorem Macedoniam, ubi terrestres suorum copiae exspectabantur, misisse existimo.

Tempore inter D. Paulum et S. Demetrium intermedio, i. e. seculis quartum Christi antecedentibus, qui status sacrorum nostrorum apud Macedonas fuerit, doctorum neminem scire puto; immo nec quaesitum video. Mihique ipsi, non indiligenter rem scrutanti, religionis Christianae in illis terris memoriam non ante seculi quarti initia recurrisse, supra (p. 9.) testatus sum, ubi S. Demetrii martyrium obiter praelibavi. Id ipsum vero diligentius iam examinandum videtur. Namque Sancti passio non solum historiae genuinum documentum est, quae tum fuerit fidei Christianae in ista orbis Romani parte conditio; sed eadem nova quasi laetioraque religionis illius initia significat, quae non parum contribuisse puto ad viam Constantino Magno muniendam, sacra nostra publicae auctoritatis munimine paucis decenniis post armanti. Annum seculi quarti tertium ibidem S. Demetrii martyrio assignavi, quae vulgaris doctorum opinio est. Non tacendum tamen, aliter de ea re visum piae memoriae viro, Cornelio Byeo, S. J. P.; quem Acta S. Demetrii aliorumque ad diem Octobris VIII *) edidisse, iisque praevium commentarium de Martyre nostro praemisisse, eos, qui post illum res Byzantinas scriptis suis illustrarunt, latuisse et miror et doleo **). Cornelius igitur Byeus praevii commentarii paginis 64. 65. annum inferiorem S. Demetrii martyrio assignat. Non posse enim Maximianum, cognomine Herculium, quo imperante S. Demetrium passum Actorum Sancti pars refert ***), rite admitti; Gothos sc. et Sarmatas (Scythas), ut Acta volunt, nunquam ab isto imperatore victos, sed a Maximiano Galerio ****), qui in Illyrico imperavit a. 305 — 311. Byeo autem non improbabile, Demetrium non ante annum 306., immo eo

*) Acta Sanctorum Octobris Tom. IV. Bruxellis 1780 fol.

**) Immunis huius notae literarum Byzantinarum summus iudex arbiterque Benedictus Hasius, cuius de ea re doctam observationem vide in Eiusdem editione Leonis Diaconi (ed. Paris. p. 260. C. ed. Bonn. p. 506 sqq). Actis S. Demetrii post Byeum non usi: Philippus *Krugius* (Krit. Versuch zur Aufklärung der Byzantischen Chronologie. St. Petersburg. 1810); Fridericus *Schlosserus* (Geschichte der bilderstürmenden Kaiser des oström. Reichs. Frankfurt a. M. 1812., quanquam is scriptor p. 34 sq. e Leonis Allatii diatriba de Simeonibus Anonymum affert res Thessalonicenses narrante); b. *de St. Martin* in sua libri editione: Histoire du Bas-Empire, par Lebeau. Tom. X. XI. Paris. 1829. 1830.); J. Phil. *Fallmerayerus* in libro: Geschichte der Halbinsel Morea während des Mittelalters. Stuttgart u. Tübingen. 1830. T. I. cap. 3. p. 143 — 213.

***) V. Anonymum et Simeonem Metaphrasten in AA. SS. ad VIII Oct. l. c. p. 90. 96. Maximianum simpliciter habet Anonymus Anastasii Bibliothecarii (AA. SS. l. c. p. 88.); item Photius in bibliotheca cod. 255 (p. 469. ed. Bekk).

****) Orosius hist. 7. 25: *Postea per eosdem duces* (Diocletianum et Galerium) *strenue adversus Carpos Bastarnasque pugnatum est. Sarmatas deinde vicerunt.* Herculius cum his gentibus non bellavit. Adde Excerpta auctoris inc. de Constantino Chloro rell. ad calcem Ammiani Marcellini (ed. Ernest. p. 545).

ipso fortasse passum. Festum martyrii sive passionis in utraque ecclesia, orientalem dico et occidentalem, non idem. Octobris diem octavum Martyrologium Romanum habet, tum vetus, tum recens (Corn. By. l. c. p. 65. 66); eiusdem mensis diem XXVI. ecclesia orientalis. Praestat ecclesiae Graecae, cuius civis S. Demetrius, ratio, coll. Anonymo in AA. SS. p. 138 (est is seculi VI scriptor), deinde novellâ Emanuelis Comn. imperatoris de feriis, anno 1166 emissa typisque saepius repetita; all. Eundem diem ecclesia Hungarica, licet Romano-catholica, celebrat (Corn. By. l. c. p. 85), e Sirmio vicino, ubi vetustissima Sancti sacra, hunc (puto) cultum adepta.

Sanctus Demetrius prae aliis Sanctis in civitate sua, deinde in regno orientali quando coli coeperit, postmodum exponam; nunc de eius in sacra nostra meritis, quae magna fuisse puto, diligentius inquiram.

Senatorio genere ortum Anonymus in AA. SS. l. c. p. 90. ait, additque, cum primum exceptoris officio militasset, Graeciaeque deinde proconsul creatus esset, consularia etiam insignia ab imperatore Maximiano accepisse *). Eadem repetit Simeon Metaphrasta (ibid. p. 96.), ubi genus Demetrii ad veteres Macedonas relatum legimus. Quod neque addubitantes cum Cornelio Byeo, neque in omnibus pro certo habentes, ad vitae Sancti potiores partes pergimus, quam multo minus miraculis, (iis Sancti vita fere caret), quam accuratissima sacrorum Christianorum cognitione magnoque eorum promovendorum studio atque eventu conspicuam fuisse, Acta unanimi consensu testantur. Anonymus Anastasii Bibliothecarii l. c. p. 88: ... *Beatus Demetrius, manifestum faciens semet ipsum absque ullo timore, qui a iuventute et bona egerat opera, et alios docuerat. Docebat enim, qualiter divina sapientia descenderat ad terram de coelo, ut hominem, qui mortuus fuerat peccato, vivificaret sanguine proprio.* Idem testatur Anonymus Vaticanus, seculi sexti septimive scriptor (ibid. p. 90), nec non Photius biblioth. cod. 255. Adde Cameniatae locum supra allatum p. 22. Fusius vero ornatiusque haec repetit Simeon Metaphrasta, seculo decimo assignandus (ibid. p. 96. 97.). Non minus autem ob studium in sacris Christianis positum, quam ob Lyaeum Vandalum, gladiatorem celeberrimum, a Nestore Demetrii discipulo in amphitheatro Thessalonicensi interfectum, Sanctum nostrum Galerio imperatori, Christianorum saevo persecutori (Zonar. hist. 12, 32), poenas dedisse, fatendum videtur. Corpus eius, ut malefici abiectum, amici clanculum sepeliere. Brevi post, cum fides Christiana auctoritatem publicam nacta esset, pro Sancto habitum Demetrium, nullus equidem dubito: quanquam clara eius rei

*) Non alia insignia visiones Sancti, in Actis satis crebrae, prae se ferunt. Paludatus enim, ut vir consularis, equoque militari insidens, civitatem suam obequitare creditur.

testimonia non extare videntur; quod non mirabitur, qui cultum Sanctorum Martyrumque, apud Thessalonicenses prorsus singularem, ex locis sequentibus cognoverit, quos ego primus ad illustrandam hanc historiae ecclesiasticae partem in medium proferam. Joannes Thessalonicensis, immo Anonymus seculi sexti ineuntis, Joanne Thessalonicensi antiquior (coll. Hasio ad Leon. Diac. ed. Bonn. p. 511.), in Actis Sanctorum tomo citato p. 121. cap. 47: *Ἐπεὶ γὰρ φιλομάρτυρες ἀκριβεῖς τε καὶ ἀσφαλέστατοι ἀεὶ μὲν, μάλιστα δὲ οἱ κατὰ τὸν τῆς εἰδωλομανίας καιρὸν, τὴν θεοφιλῆ ταύτην Θεσσαλονίκην οἰκοῦντες Χριστιανοὶ καθειστήκεσαν, καὶ δέει τοῦ μὴ τὰ τίμια σώματα τῶν μαρτυρούντων ἁγίων τοῖς τῶν εἰδωλολατρῶν προδοῦναι θυμοῖς, ἐχεμύθως ταῦτα καὶ μυστηριωδῶς ἐν γῇ κατετίθεσαν, ὡς μηδὲ μέχρι νῦν τηλαυγῶς μηδενὸς τῶν ἐν αὐτῇ μαρτυρησάντων ἁγιοδόχους θήκας γνωσθῆναι, ὅποι τυγχάνοιεν ἀποκείμεναι, πλὴν τῆς σεμνοτάτης καὶ παναγίας παρθένου Ματρώνας…* I. e. *Quoniam enim martyrum amatores diligentes et perquam constantes semper quidem, maxime vero idololatriae aevo, Deo dilectae huius civitatis Thessalonicae habitatores christiani fuerunt, et metu, ne pretiosa corpora sanctorum martyrum furoribus idololatrarum proderent, tacite illa et mystice in terra abscondere solebant, ut in praesens tempus nullius eorum, qui in illa martyrium subierunt, sacra conditoria noscantur, ubi deposita sint, praeter venerandae sanctissimaeque virginis Matronae…* Idem ibid. cap. 48 (p. 121): *Τὴν τῶν πολιτῶν περὶ τοὺς μάρτυρας βεβωμένην ἀκρίβειαν: civium* (Thessalonicae) *erga martyras curam sollicitam.* Idem ibid. cap. 49 (p. 121) in epistola Eusebii archiepiscopi Thessalonicensis Mauritio imperatori (a. p. Chr. 582 — 602) data: *Τὰ δὲ τῶν μαρτύρων λείψανα κατακρύψαι δεῖν ᾠήθησαν οὕτως, ὡς μηδενὶ τῶν πάντων τὸν τόπον γινώσκεσθαι, πλὴν ἐκείνων αὐτῶν τῶν τῆς ἁγίας κοινωνησάντων ταφῆς.* I. e. *martyrum autem reliquias ita abscondendas putabant, ut nulli omnium locus earum noscatur, nisi illis ipsis, qui sacrae sepulturae participes fuissent.* Idem ibid. cap. 22 (pag. 111): *Τὸ λεγόμενον κιβώριον τὸ ἀργυροῦν τοῦ ἁγίου καὶ πανενδόξου μάρτυρος Δημητρίου, ἔνθα φασίν τινες κεῖσθαι ὑπὸ γῆν τὸ πανάγιον αὐτοῦ λείψανον: sic dictum ciborium argenteum sancti celeberrimique martyris Demetrii, ubi quidam dicunt sub terra iacere sanctissimas eius reliquias.* Idem cap. 85. p. 134: *Ἐκεῖσε παρὰ τῶν πατέρων ἠκούσαμεν κεῖσθαι θεοπρεπῶς τὸν ὑπερένδοξον ἀθλοφόρον Δημήτριον.* I. e. *In ea ecclesiae parte a maioribus audivimus iacere, ut Sanctum decet, gloriosissimom triumphatorem Demetrium.* Cum ultimis confer Eund. cap. 50 (p. 122) *). Scripta.

*) Clariorem sive confidentiorem de Sancti reliquiis notitiam Graecis seculi XII competiisse video. Adi Eustath. opusc. p. 296., ubi Sancto alterum crus abstractum a Normannis narratur. Non igitur integrum Eiusdem corpus ad annum 1430 pervenit (quo Turcae urbem cepere), quod tamen visum Josepho de Hammer Gesch. des Osm. Reichs. ed. mai. T. I. p. 434 sq.

autem haec omnia (quod obiter moneo) ante imperatorum iconoclastarum aevum (a Chr. 728 — 842); post illud aevum, sc. 904., Cameniatae locus scriptus de Thessalonica orthodoxa cognominata (p. 22, 23.). Jam vides, quid lucis affulgeat quaestioni ibidem motae nondumque solutae. Thessalonicam puto in famosissimo illo iconoclastico bello imperatoribus rerum novarum cupidis fortiter restitisse, atque in Sanctorum cultu ecclesiae militantis partes non deseruisse, unde prae ceteris orthodoxae nomen honorificum nanciscebatur *). Verum de his penes doctiores iudicium esto. Cultum Demetrii tempore Justiniani (a. 527 — 565) in ecclesia orientali invaluisse, Eusebii, archiepiscopi Thessalonicensis, epistola, Mauritio imperatori, reliquiarum S. Demetrii partem roganti, data, luculenter docet. Ibi enim, sive apud Anonymum Actt. SS. l. c. cap. 51. p. 121., antistes Thessalonicensis exemplo maiorum se excusat, qui in Justiniani imperatoris idem petentis gratiam reliquias Sancti tentantes, re infecta de conamine abstitissent. Pronum ex his atque apertum, in ipsa Thessalonicensium civitate diu ante Justinianum imperatorem Sancti cultum viguisse; quanquam vel post Cornelii Byei curas (Praev. commentar. cap. 68. p. 66 sqq.) nondum ad liquidum perductum puto, quonam vere tempore Sancti nostri cultus reliquis ibi Sanctis Martyribusque (qui cardo quaestionis) potior haberi coeperit. Factum hoc seculo quinto, nec ego valde dubito; quamquam mirum mihi semper visum, quod Malchi historia cap. I., quae obsidionem Thessalonicae Gothicam anni 479 (est Zenonis imp. annus 6) narrat, Demetrii opem divinam, in quavis sequentium obsidionum largiter celebratam, penitus praetermittit. Tribuendum hoc Photio excerpenti (bibl. cod. 78.); namque iam tum civium suorum πρόμαχον (propugnatorem) Sanctum nostrum extitisse, probabile esse concedet unusquisque diligentior rerum Thessalonicensium scrutator. Verum relicto Demetrio, cuius memoriam mirificam sequentes huius dissertationis paginae non semel revocabunt, ad historiam civitatis, quam ille vivus aucta per ipsum fide Christiana ornavit, post obitum ut praesens quoddam numen defendit, iamiam recurremus.

Constantini Magni decretum, paganis a. 337. sacra publica (?) interdicens, Macedonibus Christianis, summas vexationes passis, perquam salutare fuisse, non est quod pluribus demonstrem. Thessalonicae vero amoenitates brevi post clericorum extraneorum desidiae libidinique inserviisse, hoc loco non praetermittendum duco. Vide Acta

*) Opinioni nostrae favet quoque nomen festi Orthodoxiae, quod cultum imaginum a. 842. a Methodio patriarcha una cum memoria concilii II Nicaeni restitutum spectare, nota res est. Videatur Cangius in Gloss. s. v. ὀρθοδοξία. Mich. Lequinius in Oriente Christ. I. 256. A. Pagius crit. IV. 24. A. Hasius ad Leon. Diac. lib. VI. p. 461. ed. Bonn.

concilii Sardicensis, primo post Constantini decretum decennio a. 347. habiti (Mansi concil. T. 3. p. 17. 18. can. 16): *Ἀέτιος ἐπίσκοπος εἶπεν. Οὐκ ἀγνοεῖτε, ὁποία καὶ πηλίκη τυγχάνει ἡ τῶν Θεσσαλονικέων μητρόπολις. Πολλάκις τοιγαροῦν εἰς αὐτὴν ἐξ ἑτέρων ἐπαρχιῶν πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι παραγίνονται, καὶ οὐκ ἀρκούμενοι βραχέος διαγωγῇ χρόνου, ἐναπομένουσι, καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον αὐτόθι ποιοῦντες διατελοῦσιν, ἢ μόλις μετὰ πλεῖστον χρόνον εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπανιέναι ἐκκλησίας ἀναγκάζονται. Περὶ τούτων οὖν ὁριστεόν. Ὅσιος εἶπεν· οὗτοι οἱ ὅροι, οἱ καὶ ἐπὶ τῶν ἐπισκόπων ὡρισμένοι, φυλαττέσθωσαν καὶ ἐπὶ τούτων προσώπων.* I. e. *Aëtius episcopus* (Thessalonicae) *dixit: haud nescitis, qualis quantaque sit Thessalonicensium metropolis. Saepe igitur in illam ex aliis provinciis presbyteri et diaconi veniunt, nec contenti brevis commoratione temporis, in illa manent, atque omne tempus ibi consumere non desinunt, vel aegre post plurimum temporis ad suas redire ecclesias coguntur. De his igitur praecipiendum est. Hosius* (Cordubae episcopus) *dixit: Illa praecepta, de episcopis data, observantor in his quoque personis.* Aëtio antecessori simillima diu post in clericis sui temporis queritur Eustathius Thessalonicensis archiepiscopus tractatu de emendanda vita monachica cap. 28 — 30 (Opusc. p. 220. 221).

Seculi quarti finis eiusdem initio Thessalonicensium caede non absimilis. Maximinus enim Galerius ineunte, isto seculo Christianos ibi acerrime persequens, multos obtruncavit (Acta SS. supra cit. p. pag. 31., coll. Zonar. hist. 12,32); vergente eodem (a. 390?) Theodosius Magnus*) magnam civium stragem edidisse fertur. Primus scriptorum historiae ecclesiasticae eius supplicii testis Rufinus H. E. 2, 18: *Per idem tempus subreptione quadam daemonis turpis macula religioso principi inusta est. Etenim cum apud Thessalonicam seditione exorta quidam ex militaribus vir impetu fuisset populi furentis extinctus, repentini nuntii atrocitate succensus, ad ludos Circenses invitari populum, eique ex improviso circumfundi milites, atque obtruncari passim, ut quisque occurrisset, gladio iubet, et vindictam dari non crimini, sed furori. Ob hoc cum a sacerdotibus Italiae argueretur, agnovit delictum, culpamque cum lacrimis professus, publicam poenitentiam in conspectu totius ecclesiae exegit, et in hoc sibi tempus adscriptum absque regali fastigio patienter implevit. Quibus omnibus istud quoque mirabiliter adiecit: lege sanxit in posterum, ut sententiae principum super animadversione prolatae in diem tricesimum ab executoribus differrentur: quo locus misericordiae, vel, si res tulisset, poenitentiae non periret.* Antiquior vero apud S. Ambrosium Mediolanensem mentio, cuius magnas partes in poenitentia imperatoris fuisse constat. Adi Eius epist. 51, 6 (ad Theodosium imperatorem. Opp. ed. Ven. 1751. T. 3. p. 1079): *Factum est in urbe Thessalo-*

*) Theodosio II haec falso tribuit *Peltius* in prooem. ad Epist. Thessalon. pag. X. not. 4.

nicensium, quod nulla memoria habet, quod revocare non potui, ne fieret; immo quod ante atrocissimum fore dixi, cum toties rogarem, et quod ipse sero revocando grave factum putasti: hoc factum extenuare non poteram. Vides, antistitem Mediolanensem intercessisse pro Thessalonicensibus ante caedem imperatam, Theodosium vero non coeco irae impetu latum (ut historiae ecclesiasticae auctores volunt) saevam poenam statuisse; quae potius, Sozomeno referente, iuris talionis quandam speciem prae se ferebat, nec statim post ipsam Thessalonicensium seditionem infligebatur (Rufin. l. c. Theodoret. H. E. 5, 17., coll. Zonar. hist. 13, 18). Sozomenus enim H. E. 7, 25. *ῥητὸν*, ait, *τῶν προστυγχανόντων ἀριθμὸν ἀναιρεθῆναι προσέταξεν* (*certum obviorum numerum occidi iussit*). Qui numerus si maior evasit, quam quem voluntas imperatoris absentis (Rufin. l. c. Theodoret. H. E. 5, 17.) praeceperat *), culpae pars ad eos redundat, qui imperatoris iussu fungebantur; neque omnino in talium suppliciorum genere veteres admodum anxios fuisse constat. Ceterum culpa Thessalonicensium varie traditur. Cum Rufino concinit Theodoretus, qui H. E. 5, 17. seditione orta quosdam magistratus a plebe lapidibus occisos tractosque per urbem refert. Seditionis causam aperit Sozomenus H. E. 7, 25. Nimirum Buterichae, qui tum Illyrici exercitibus praeerat (nomen viri barbarum prodit), aurigam, quod domini sui (Buterichae) pincernam turpiter tentasset, in vincula coniectum; deinde, cum ludi curules instarent, populusque Thessalonicensis solvi custodia aurigam voluisset, id non concessum. Exin seditio, in qua ipse Butericha occiditur. Paulo aliter Cedrenus hist. p. 317. ed. Paris., quo narrante imperator, Constantinopoli Romam proficiscens, eo itinere Thessalonicam divertit; ubi milites cum urbem ob metata (*μιτάτα*, mansionem, habitationem) conturbassent, Thessalonicenses seditione facta imperatorem iniuriis affecerunt, et quosdam eius praefectos lapidibus obruerunt. Sozomenum repetit seu furatur seculi XIV scriptor Nicephorus Callisti H. E. 12, 40., eadem plane de Butericha referens; Theodoretum in describenda imperatoris ira. **) Cedreni magis vestigia Zonaras premit hist. 13, 18. Hoc auctore Theodosius adversus Eugenium proficiscens, Thessalonicae contumeliose acceptus, praefecto per seditionem populi, quibusdam de causis ortam, interfecto, ad tempus in populi motu connivendum ratus est. Postea equestre certamen indixit: populum in theatro congregatum circumdedit legionibus, quae ad quindecim millia sagittis et iaculis confece-

*) Septem millia hominum occisa, Sozomenus l. c. tradit, deinde Theodoretus H. E. 5, 17., item Anonymus vitae S. Ambrosii graecae cap. 19.; septendecim millia Cedrenus hist. p. 317. ed. Paris.: *κατέκτεινε χιλιάδας ἑπτά, ὡς δέ τινες, πεντεκαίδεκα.* Solum posteriorem numerum Zonaras in eadem re affert (hist. lib. 13, 18), scriptor Cedreno posterior, minore veterum non memorato. Thessalonicam fere deletam (?) ista caede dicit Paulinus in vita S. Ambrosii cap. 24.

**) Theodoreti verba fere exscribit Anonymus vitae S. Ambrosii graecae cap. 19.

runt. Sozomeni narratione cum ultimis Zonarae verbis iuncta, Theodosium putabis Thessalonicenses in eadem re puniendos statuisse, in qua ipsi ante deliquerant, certamine curuli, cuius studia propensa cum Thessalis vicinis communia habebant. Erat autem imperator, genere Hispanus, legum (ut videtur) rigidus exercitor atque homo iracundus *), Graecorum vero minus amator, quos tum aliis rebus, tum ideo potissimum offendisse videtur, quod barbaros illis in fori militiaeque muneribus praeponeret. Verum haec atque similia Theodosianae historiae scrutatores diligentius nobis ponderabunt; unicum addimus, sc. aliam narrationis veterum de Thessalonicensi supplicio quandam discrepantiam. Soli historiae ecclesiasticae scriptores, aevo isti suppares, rem narrant; alii coaevi tacent. Jamque illos quidem nemo mirabitur. Suam enim rem agentes, seduli sunt in narranda Thessalonicensium strage, ut novorum sacrorum vim ac dignitatem, quam negligere imperator non debebat, item poenitentiam eiusdem, viris sanctis mirum quantum honorificam, vivis coloribus exprimerent. Sed quare praeter Pacatum Orosius tacet, quare Zosimus? Tacet Orosius christianus, in omnibus ut Pacatus Theodosii laudator atque admirator (hist. 7, 35). Tacet Zosimus non christianus, Theodosii reprehensor **), non tanti (puto) rem illam faciens, ut inde novam Theodosio maculam adspergere posset, licet non semel tantum (4,25.43) imperatorem Thessalonicae commoratum narret ***). Theodosius in Graecos more maiorum animadverterat, suppliciumque provincialibus impositum non fuit vel saevius vel mitius, quam qualia veteris reipublicae Romanae annales referunt †). Sed doli cuiusdam insidiarumque specie Theodosium nemo facile liberabit; quam si Zosimus in imperatore notare volebat, praesto habebat simillimum Antonini Caracallae facinus, qui anno post Chr. natum 215 (Herodian. hist. 3, 9) Alexandriae Aegyptiacae cives, quorum conviciis semper se lacerari sciebat, in amphitheatro urbis eodem modo contrucidari iussit ††).

*) Flechier, histoire du Theodose le Grand. ed. 3. Par. 1682. lib. 4. cap. 3.

**) V. Reitemeieri disquisit. in Zosimum eiusque fidem (Zos. historiae. Ed. Reitem. praef. pag. XXIV. sq.)

***) Aliis contra Zosimos rem istam, ut Christianis nimis gloriosam, praeteriisse videbitur.

†) Supplicii gravitatem testatur inprimis Paulinus supra memoratus, qui *civitatem usque in horam tertiam gladio donatam* narrat.

††) Emendandus in transrursu S. Theodoreti locus (H. E. 5, 17.), quem male sanum esse nemo vidit. Ille igitur Sanctus in sua de Thessalonicensibus caesis narratione haec habet: *ὁ δὲ βασιλεὺς ἐξαφθεὶς ὑπὸ τῶν ἀγγελθέντων, οὐκ ἤνεγκε τοῦ θυμοῦ τὴν ὁρμήν, οὐδὲ τῷ χαλινῷ τοῦ λογισμοῦ τὴν τούτου ῥύμην ἐκώλυσεν· ἀλλὰ τούτῳ τὴν ψῆφον ἐξενεγκεῖν τῆς τιμωρίας ἐπέτρεψε. Ταύτην δὲ τὴν ἐξουσίαν ἐκεῖνος λαβών, οἷα δὴ αὐτόνομός τε καὶ τύραννος, τὸν δεσμὸν ἀπορρήξας, καὶ λογισμοῦ διαφυγὼν τὸν ζυγόν, ἄδικα ξίφη κατὰ πάντων ἐγύμνωσε, καὶ τοὺς ἀθῴους μετὰ τῶν ὑπευθύνων κατέκτεινεν.* In his τούτῳ, statim post τούτου (sc. irae) repetitum, prorsus inelegans est, talique scriptore indignum; frigidum vero eiusdem rationis, cuius obsequium Theodosius iam reiecerat, imperium deinde etiam ab ira detrectatum, cui imperator supplicii executionem mandaverat. Quid multa? Vetus Theodoreti loco ulcus inest, quod iam Nicephorum Callisti H. E. 12, 40. subodoratum video. Is enim seculi XIV scriptor, Theodoreti verba non in-

In tempore cladi Thessalonicensi assignando pugnam doctorum video. Annus 390 plurimis placet, de quo consulendi: Baron. et Pagius crit. ad a. 390. Flechier. l. c. lib. 4. cap. 1. Vita Theodos. M. ad annos dig. in ed. Panegyricorum Jaegeriana vol. 2. p. 219. Vita S. Ambrosii ex Eius scriptis collecta (Ambros. Opp. ed. Ven. T. 4. Append. p. 60). Veteris alicuius scriptoris locum ab his doctis allatum non vidi; quanquam docti Cedrenicae narrationis tenore ad suas rationes chronologicas uti sive abuti poterant. Sed locupletior mihi testis Cedreno antiquior Sozomenus, qui poenitentiam Theodosii Magni, ob Thessalonicenses caesos clericis praestitam, post Eugenii tyranni cladem evenisse disertis verbis narrat (H. E. 7, 25). Idem fere Zonaras testatur (hist. 13, 18), quo auctore Theodosius, adversus Eugenium proficiscens, cum Thessalonicae contumeliose esset exceptus, cives mactari iussit. Poenitentiam eius facti num ante bellum Eugenianum, an eo finito, Mediolani egerit, e Zonara non satis intelligitur. Bellum autem Eugenianum in annos 393. 394. incidit. Idemque bellum cum narratione Thessalonicensi Nicephorus Callisti l. c. iungit; neque erat, quod eius quidam interpretes Eugenio in textu Nicephori Maximum substituerent, quanquam in fine narrationis (cap. 41.) Theodosium deinde Constantinopolin reversum esse refertur, quod in annum his anteriorem cecidisse putabant. Ultimum recte. Nam e Mediolano post Eugenianum bellum Theodosium Constantinopolin reversum non audivi (e vivis abiit 17. Jan. 395). Quod vero apud Cedrenum Nicephorumque Callisti l. c., Mediolanensi obsequio imperatoris perquam simile, legitur (accidisse Constantinopoli narrant), id fere cleri Byzantini commentum esse existimo, qui poenitentiam principis Mediolanensem suis quoque imperatoribus commendabant. Denique legem Theodosii, post poenitentiam teste Rufino aliisque latam, qui in Theodosiano Codice sibi invenisse videntur, ii diligentius eum ipsum inspicere debebant, quam Historiae ecclesiasticae tripartitae auctor Cassiodorus lib. 10, 3., all. Namque constitutio impp. Gratiani, Theodosii et Arcadii, Flaviano PP. Illyrici et Italiae de dilatione vindictae data, annum spectat 382 (XV Cal. Sept., Veronae, Antonio et Syagrio coss.), non annum 390 vel adeo posteriorem, coll. Theodos. Cod. 9, 40 (de poenis), 13. Re-

diligenter repetens, ita pergit: *et appetitum calculo et sententia sua comprobavit.* Ea verba (Graeca mihi non praesto sunt), Theodoretum non exprimentia, documento sunt, Nicephorum, corruptela offensum, utcumque intellectui suo consuluisse. Jam evolve Cedrenum hist. comp. ed. cit. pag. 317: *Ὁ βασιλεὺς δὲ ταῦτα μαθὼν, καὶ τὴν φήμην τοῦ δήμου οὐκ ἐνεγκὼν, τῷ ἐπάρχῳ τῆς πόλεως ἐκείνης τὴν ψῆφον τῆς τιμωρίας ἐπέτρεψεν. Ὃς τὴν τοιαύτην ἐξουσίαν εἰληφὼς, οἷα δὴ αὐτόνομος τύραννος, ἄδικα ξίφη κατὰ πάντων ἐγύμνωσε, καὶ τοὺς ἀθώους μετὰ τῶν ὑπευθύνων κατέκτεινε κ. τ. λ.* Jam duce Cedreno lege apud Theodoretum: *ἀλλὰ τῷ ἐπάρχῳ* (s. *ὑπάρχῳ*) *τὴν ψῆφον κ. τ. λ.* Theodoreti locum anonymus vitae graecae S. Ambrosii auctor supra cit. cap. 19. ita repetit, ut ipsum Theodosium a Thessalonicensibus poenam exegisse dicat, in reliquis a Theodoreto non admodum remotus.

petitam tamen, post caedem Thessalonicensem, mihi quoque haud improbabile, quanquam nihil de ea re proditum esse videtur.

Requiescat in pace Eugenii tyranni victor, Theodosius Magnus; item Sanctus Ambrosius Mediolanensis, Theodosii debellator. Pergimus ad alium praesulem, non quidem principis Romani, sed barbarorum debellatorem, episcopum Thessalonicensem; quam secularem illorum antistitum virtutem aliis debinc exemplis historia Thessalonicensis claram faciet. Est seculum Christi quintum, annus (sic videtur) 479., indictio secunda, Zenonis Byzantini imperatoris annus sextus, de quo sequens agit Malchi locus hist cap. I (Excerpta legationum. Ed. Ven. p. 53., ed. Bonn. p. 245): *Ὡς δὲ τῇ Θεσσαλονίκῃ ἐγγύθεν ἐφεδρεύειν ἠγγέλθη ὁ βάρβαρος, αὐτίκα οἱ πολῖται νομίσαντες, ἐκ δόλου τὰ ἐν τῇ προτεραίᾳ ἀνεγνῶσθαι γράμματα, καὶ τὴν πόλιν βούλεσθαι Ζήνωνά τε καὶ αὐτὸν ἐκείνῳ παραδοῦναι, συστραφέντες ἐν σφίσιν αὐτοῖς, τὰς τοῦ Ζήνωνος στήλας καταβάλλουσι πάσας, καὶ αὐτὸν ὁρμήσαντες τὸν ὕπαρχον ἕτοιμοι διασπάσαι ἦσαν. Οἱ δὲ κομισάμενοι πῦρ ἐπὶ τὸ ἀρχεῖον, ἐμπιπράναι ἔμελλον, εἰ μὴ ὑποφθάσαντες τά τε ἱερὰ γένη καὶ οἱ ἐν ταῖς ἀξίαις, ἐξήρπασάν τε αὐτὸν τῆς ὀργῆς τῆς τοῦ δήμου, καὶ τὸ ἀτακτοῦν λόγοις πρᾳέσι κατέστειλαν, λέγοντες, οὔτε αὐτὸν αἴτιον εἶναι τούτου, οὔτε τὸν βασιλέα τῇ πόλει τι δυσχερὲς ἢ κακὸν βεβουλεῦσθαι· τῆς τε πόλεως χρῆναι ποιήσασθαι φυλακὴν, ὅτῳ ἂν ἐθέλωσι, καὶ ὃν ἡγοῦνται πιστὸν, ἐπιτρέποντες ταύτην. Οἱ δὲ τὰς κλεῖς τῶν πυλῶν ἐκ τοῦ ὑπάρχου λαβόντες, τῷ ἀρχιερεῖ ἔδοσαν, καὶ ἀπὸ τῶν ἐνόντων φρουρὰν ἐπενόησαν ὡς ἐδύναντο πλείστην, καὶ τὸν στρατηγὸν ἔστεργον.* I. e. *Ut vero nuntiatum est, barbarum ad Thessalonicam castra habere, statim urbis incolae ex literis, quae pridie lectae fuerant, dolum suspicati, et Zenonem quoque habere in animo, cives et urbem barbaro tradere, seditione concitata, omnes eius statuas deiiciunt, et praefectum aggressi, ad ipsam confodiendum parati erant; in praetorium vero ignem intulerunt, atque incendissent, ni homines sancti et magistratus praevenientes, populi irae praefectum subduxissent, et furorem plebis blandis verbis compescuissent. Dicebant enim, eam non esse horum malorum causam, neque imperatorem male consultam civitati velle, aut illi adversa cupere. Oportere sane diligentem custodiam civitatis agere, eamque committere, cui voluerint, et quem sibi fidum esse cognoverint. Itaque claves civitatis a praefecto acceptas archiepiscopo tradiderunt; dein ex iis opibus, quae sibi tam suppetebant, quam diligentissimam poterant custodiam instituerunt, ducemque elegerunt.* Barbarus Malchi loco memoratus Balamerus est Gothus; quem deinde quomodo Zeno imperator sibi conciliarit, pacemque cum eo fecerit, ibidem exponitur. Nomen Thessalonicensis episcopi, cui praefecti loco commissa civitatis potestas (militum dux, a civibus electus, ab eo diversus videtur), ego cum Michaele Lequinio (Orient. Christ. II. 34. D. E.) nondum laveni. Praefectus autem (ὕπαρχος), de quo mentionem iniecit Malchus, fuit Joannes (aliud eius nomen ignoratur); eum, antequam res

cum Gothis transacta esset, gladiis militum petitum, e Malcho l. c. discimus.

Seculi sexti anno (sic videtur) 551 prima occurrit Sclavinorum mentio, Thessalonicam hostili agmine petentium. Eo anno Sardicae, quae Illyrici urbs, exercitum adversus Totilam Gothosque instruebat Germanus, Justinianei exercitus imperator, cum Sclavinorum catervae, quantae nunquam e sedibus suis ante prodierant, ad imperii Romani fines progressae, traiecto Istro flumine, Naisum venerunt. Quorum pauci copias suorum praecurrentes, in Romanorum manus incidunt: interrogati, cuius rei causa et quid tandem acturus hic Sclavinorum exercitus Istrum transmisisset, eo se venire consilio dicebant, ut Thessalonicam urbesque illi circumiectas obsidiune caperent. Eius rei nuntio valde commotus Justinianus, statim Germano scribit, ut in praesens omisso itinere Italico, Thessalonicae ceterisque urbibus suppetias ferre, ac totis viribus impetum Sclavinorum repellere maturet. Dum in his Germanus haesitat, Sclavini, comperto ex captivis, Germanum Sardicam venisse, trepidant. Erat enim apud hos barbaros Germani nomen e superioribus cladibus insigne. Hunc igitur veriti, maximoque exercitu cinctum eum rati, utpote qui adversus Totilam Gothosque proficisceretur, coeptum iter Thessalonicense statim abrumpunt, neque ausi amplius in campos descendere, Illyrici montibus superatis, Dalmatiam intrant (Procop. de bello Goth. 3, 40), quam magna saevitia populantur (Procop. ibid. 4, 35).

Ulterius progressus proximo anno (552) Hunnorum exercitus (Procop. ibid. 4, 21). Narses, cui post Germani obitum Gothici belli administratio mandata erat, in mediam Thraciam progressus, aliquamdiu Philippopoli substitit, intercluso itinere turmis Hunnorum, qui, facta in Romanum imperium irruptione, agebant ferebantque, nemine repugnante. Eorum pars cum Byzantium, pars Thessalonicam discessisset, Narses aegre illinc expeditus coeptam profectionem continuavit. Hunnorum vero iter Byzantinum atque Thessalonicense ab eodem Procopio in reliquo Gothicorum suorum opere non curari video; idem de aliis scriptoribus autumo. Mihi tamen ex alio Procopii libro Macedonicum saltem Hunnicae gentis bellum illustrari posse videtur. Ille enim de aedif. 4, 5., οὕτω δὲ τὰς ἐνταῦθα, ait, οἰκοδομίας ὁ χρόνος διέφθειρε πάσας, ὥστε δὴ Οὐννικόν τι ἔθνος οὐ πολλῷ πρότερον καταθέοντες τὰ ἐκείνῃ χωρία, ὥσπερ τι διαχειρίζοντες οἷόν τι πάρεργον, τό τε ξύναμμα τοῦτο καὶ τὴν πόλιν ἄφοβοι ἐξεῖλον, καίπερ, ἐξ οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι, οὐ τειχομαχήσαντες πώποτε. I. e. *Quare quidquid eo loco* (Cassandriae) *fuerat exstructum, id longa dies ita corruperat, ut Hunnica quaedam natio, dum oram istam infestaret, quasi aliud agendo et septum et urbem expugnaverit, quamvis nunqaam post homines natos munitionibus oppugnandis operam dedissent.* Barbaros septentrionales, Chalcidicen peninsulam vastantes, cuius urbem Cassandriam cepere, Thessalonicam quoque tentasse, quis est qui dubitet? Nil tamen atrocius eam ab Hunnis passam, Procopii silentium docet. Id vero commodi barbarorum vastatio Macedonica ha-

buisse videtur, ut Justinianus imperator alia istius provinciae munimenta instauraret, alia de integro exstrueret; quam ego rem in parte dissertationis geographica illustrabo.

Sclavinorum incursionibus in partem imperii Byzantini Europaeam factis Justiniani aevum (a. 527 — 565) raro vacasse, e Procopii Gothicis magis divinare, quam monstrare licet. Erant enim praeter Gothos pessimi Graecorum hostes Sclavini (Procop. de bello Goth. 3, 40), quamquam ea tempestate nondum stabili provinciarum occupatione, ut Gothi, potius direptione earumdem hominumque ac pecorum abactione grassantes. Horum bellorum ea, quae circa ipsam Constantinopolin Hebrumque flumen, vel in limitibus imperii per duces Justiniani gerebantur, non indiligenter narrant annales *); silent de iis, quae interiora imperii, Macedoniam, Thessaliam, Graeciam, all. lacerabant, defensionis suae cura iis ipsis provinciis relicta. Hinc factum, ut earum terrarum historia paene iam nulla esse videatur; quotusquisque enim bellorum barbaricorum, vel pestilentiae, quae nova calamitatis publicae accessio, superstes? Verum Thessalonicensium civitas, regni Byzantini saepius strenua vindex, ita historiae quoque rerum Graecarum sospitatrix rite a nobis praedicatur; eius enim patronus, S. Demetrius, cuius magnae semper partes in defendenda patria e sequentibus huius libelli paginis elucebunt, sacrorum suorum annuorum ratione id effecit, ut Macedoniae, immo finitimarum quoque provinciarum memoria per secula VI — VIII non intercideril. Quod ipsum proximus narrationis tenor in nova luce collocabit.

Mauritius, Graecorum imperator a. 582 — 602. **), bella cum Sclavinis, qui tum temporis Avarorum genti validae parebant, ad Istrum flumen per duces suos gessit; quaenam ab ipsius provincialibus duorum seculorum decursu cum iisdem barbaris gesta sint, ex Actis S. Demetrii iam nunc patefaciam, simulque res et sedes Sclavinorum Macedonicorum ***) ac Thessalicorum illustrabo. Quod ut via et ratione procedat, prooemii instar locum Cameniatae satis memorabilem praemittam, qui bella Thessalonicensia, tum pristini aevi, tum proximorum auctori seculorum, uno quasi obtutu comprehendit, libellosque in Demetrii honorem conscriptos, quibus nos ad illustrandam Thessalonicensem antiquitatem deinceps utemur, si non omnes,

---

*) Procop. de bello Goth. 3, 38. 40. Slavici praeter alia cognomen Justinianus imperator sibi nunquam arrogavit.

**) *Lebeau*, histoire du Bas-Empire, ed. *de St. Martin.* T. X. lib. LI — LIV. pag. 121 — 412.

***) Horum soli Strymonii e Cameniata cap. 20. 41. noti fuere, non ignorante Strittero Slavicor. cap. 124 (Memoriae populorum cett. T. III. p. 95 sq.).

tamen quosdam eorum, seculo decimo antiquiores, non admodum tecte respicit. Igitur Cameniata, qui anno 904. vel insequenti suam de Thessalonicae Sarazenica expugnatione narrationem concinnavit, huius capite octavo haec habet *): *Εἰ γὰρ καὶ πολλοὺς πολλάκις ἀνέτλη πολέμους καὶ λίαν σφοδροτάτους ἡ πόλις, τούς τε ἐκ βαρβάρων, καὶ αὐτῶν δὲ τῶν συνομορούντων Σκυθῶν, πᾶν εἶδος ἀμυντηρίων κατ' αὐτῆς ἐπινοουμένων, καὶ ψάμμου δίκην τῷ πλήθει τῆς στρατιᾶς εἰσρεόντων, καὶ μηδὲ ὑποφέρειν τὴν ἀπειλὴν αὐτῶν φιλονεικούντων (καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς ἦσαν ἀκάθεκτοι ταῖς ὁρμαῖς, καὶ ποικίλῃ τινὶ πανοπλίᾳ πεφραγμένοι), ἀλλ' ἦν ἄρα περίγειος ὥσπερ ἡ μάχη, καὶ διέφευγε τὰς ἐπιβουλὰς, τῷ ἀσφαλεῖ τοῦ τείχους τὴν ἔφοδον ὑπεκκλίνασα, καὶ τῷ συνήθως αὐτῇ καὶ θερμῶς ὑπερμαχοῦντι, λέγω δὴ τῷ πανενδόξῳ μάρτυρι Δημητρίῳ, τὴν ἑαυτῆς σωτηρίαν καταπιστεύουσα. Ἐκ πολλῶν γὰρ αὐτῶν κινδύνων αὐτὴν ὁ σωσίπατρος οὗτος ἐῤῥύσατο, καὶ τὸ νικᾷν αὐτῇ, καὶ μήπω τοῦ πολέμου πειραθείσῃ, πολλάκις συμπαθῶς ἐδωρήσατο. Ἀλλὰ ταῦτα τοῖς τῶν θαυμάτων αὐτοῦ βίβλοις ἐξηγῆσαι* (l. *ἐξηγεῖσθαι*) *παραχωρήσαντες, τοῖς ἑξῆς ἡμεῖς τῶν ἤδη λεχθέντων προΐωμεν.* I. e. *Licet enim multa multoties bella, eaque atrocissima, civitas sustinuerit, tam barbarorum, tum ipsorum Scytharum conterminorum, omne genus machinarum contra illam excogitantium, arenaeque instar multitadine copiarum adfluentiam, et minas suas ne laturam quidem opinantium (revera enim irresistibiles erant impeta, et vario armaturae genere instructi), erat tamen terrestris quidam conflictas, atqae insidias illa eladebat, mari securitate irruptionem declinans, solitoque ac fervido propugnatori (gloriosissimo, inquam, martyri Demetrio) saam committens salutem. Eam enim ex multis mediisque periculis iste p a t r i a e s o s p i t a t o r liberavit, et victoriam illi, vel nondam bellum expertae, saepius per misericordiam concessit. Verum haec libris, qui de miracalis eius scripti sunt, narranda permittentes, ea, quae proxima iam dictis sunt, perseqaemar.* Hoc Cameniatae loco quinam barbari sint, a Scythis conterminis discreti, antecedentes huius dissertationis partes monstrarunt (sunt potissimum Gothi); Scythas conterminos e sequentibus cognoscemus. Bella, ante conspectum devitata, per hyperbolen rhetoricam Balameri Gothi, Sclavinorum Hunnorumque erunt, cum Sclavico sexto, infra memorando; ni alia malis, quo-

*) Titulum huius libri, item eius, quem diu post Jo. Anagnosta de urbis expugnatione Turcica (1430) conscripsit, pessime sic reddunt latini interpretes: *De e x c i d i o Thessalonicensi.* Verum *ἁλώσεως* (*e x p u g n a t i o n i s*) nomen graaca utriusque narrationis exemplaria prae se ferunt; dain Thessalonica bellorum obsidionumque occasione nunquam escisa deletaque est. Monendum hoc duxi, quod falsa horum titulorum interpratatio aliis fraudi fuisse videtur, qui in historiis suis Byzantinis non semel tantum de Thessalonica e x c i s a, c o m b u s t a rell., verba faciunt. Sunt commenta hominum doctorum, historiam illorum temporum ex interpretatione scriptorum latina (quotusquisque Graeca legit?) petentium. Thessalonicam veneranda inter Europaeas urbes antiquitate gaudere, ex multis ego persuasum habeo.

rum memoria intercidit. Cameniata num etiam Bulgarica spectet, Slavicis posteriora, de eo deinceps videbimus. Eius autem scriptoris narratio id potissimum momenti semper nobis habere visa est, quod ad seriem quandam bellorum, a finitimis quibusdam Scythis civitati illatorum, breviter alludit, quae a doctis hominibus ne summo quidem digito tentata, ex Actis S. Demetrii sequentibus paginis illustrabimus.

Bellum Sclavinorum Thessalonicense primum. S. Demetrii festum anniversarium vigesimo sexto Octobris die civitas et regio Thessalonicensis agebat, cum secundo eiusdem festi die, nulladum hostilis incursionis fama audita, argenteum ciborium in Eius templo igne combustum est. Quo repente per totam urbem audito, omnis praecipue iuventus accurrit, numero adeo copioso, ut templum fere obstrueretur. Argentum ciborii omne, igne liquefactum, in pavimento aquae instar iacebat; incendium ne reliqua templi tentaret, anxiâ civium curâ, aedis summa cum amphoris percurrentium, aegre cautum est. Ibi quum turba, argento aliisque opibus ecclesiasticis inhians, expelli templo non posset, civium nobiliorum aliquis, qui Dacico, quod vocabatur, Illyrici praefectorum scrinio praeerat, instigante ipso S. Martyre, barbaros ad moenia subito accessisse fingit Omnis dehine populus ad tecta sua dilabitur, sumtisque armis muros conscendit. Et aderant hostes. E moenibus enim in campo, ubi sanctae virginis martyrisque Matronae templum, turmam hostium conspiciunt, minus numero, quam fortitudine ac ferocia eximiam: erat enim totius Sclaviuorum gentis flos et selectus, armatorum vero non plus quam quinque millia. Die illucescente, eum barbari ad templum sanctarum Martyrum Chionae, Irenae et Agapae, quod brevissimo intervallo a moenibus civitatis distat, accessissent, portis apertis plurimi cives egressi, Christo Demetrioque eos corroborantibus, pugnam cum hostibus per totum diem commisere. Tandem barbarorum exercitus, non paucis ea ipsa parte, qua in urbem irruperant, recedentibus, conflictuque ter et amplius repetito, eodem die fugatus est. Narrat haec Anonymus seculorum VI et VII (AA. SS. l. c. cap. 93 — 106. pag. 137 — 141) *).

Sclavinos haec narratio disertis verbis, cap. 99., memorat. Avaris eos tum temporis paruisse, secundum eorundem bellum Thessalonicense docebit. Parvum eorum numerum excusat S. Demetrii Thessalonicense festum; eius enim opportunitatem nacti, in civitatem incautam, ut putabant, irrumpere voluerant. Sedes prope Thessalonicam stabiles num iam tum habuerint, mihi nondum probabile; quanquam parva invadentium copia magis conterminum hostem prodere videtur, quam valde dissitum.

*) Acta SS. l. c. in describenda pugna (cap. 103. p. 140. C.) haec habent: *καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἀφ' ἑωσφόρου δὶς καὶ τρὶς καὶ πλεονάκις συγκρούσαντας* (*ad hanc usque horam inde a matutino tempore bis et ter saepiusque congressos*). Quid sit *μέχρι τοῦ νῦν*, ego non perspicio. An scripta haec verba ipso pugnae die?

Ceterum Mauritio imperante (anno Chr. 582 — 602) hanc obsidionem Sclavinorum accidisse, sequens bellum, antecedenti multo maius, docet, quod hoc nostro posterius fuisse, Anonymi narratio huiusque ordo unicuique apertum faciet. Annus belli ambiguus; signis enim, eam rem definientibus, auctoris nostri oratio caret. Annum Christi 584. docti statuunt (Mauritii secundum tertiumve)*); quod quo iure factum sit, equidem diu scrutans nondum inveni. Sed peste, qua chagani Avarorum filii plurimi occubuere (ei morbo annum 597 assigno) bellum hoc prius saltem fuisse, persuasum mihi est; quam et aliorum sententiam fore existimo. Ab aliis, quae magis etiam incerta sunt, abstineo.

Bella Sclavinorum primum et secundum dira pestis intercedit, ab Anonymo ante primum quidem bellum memorata, eo tamen non prior (AA. SS. cap. 111. 116. pag. 144. 145). Narrationis enim ratio atque institutum non alium illi ordinem suadebat. Anonymus vero, cuius iam narrationem tradam, Demetrii opem praestitam *ἔναγχος γεγεννημένον θαυματούργημα* (*nuper patratum miraculum*) dicit cap. 30. p. 114. Idem ibidem: *πρὸ γὰρ λίαν ὀλιγοστῶν ἐτῶν γεγένηται* (*ante annos enim paucissimos evenit*). Ibidem (cap. 31. p. 115): *τὴν πρό τινος ὀλιγοστοῦ χρόνου θεήλατον ἐπελθοῦσαν τῇ πόλει ὀργὴν, οὐ τῇ πόλει δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ χώρᾳ πάσῃ, λέγω δὴ τὸν λοιμὸν ἐκεῖνον τὸν παμφάγον καὶ ὑπέρμετρον, τὸν ὑπερβάντα μὲν μεγέθει κακοῦ τὰς ἐκ θεοῦ παιδείας τοῖς πώποτε καταπεμφθείσας.* I. e. *Brevissimum ante tempus divinitus immissam civitati iram, sed non civitati soli, verum universae regioni, pestem illam dico omnivoram omniaque perdentem, et omni modo maiorem, supergressam magnitudine mali castigationes omnes ullis unquam immissas.* Primum terrae fructibus, deinde iumentis corruptela immissa. Malum deinde lactentes infantes valdeque teneros tentavit. Exin maior morbi vis, omnesque extincti, exceptis senioribus. Visionibus tamen S. Demetrii per somnium in eius templo oblatis aegrorum permulti sanati; quos Sanctus visione sua non dignabatur, vel qui ecclesiam eius non visitabant, curationemque domesticam praeferebant, morte ut plurimum absumti, vel diu valetudinis instauratione destituti. Vide de his AA. SS. l. c. capp. 31 — 35. pag. 115 — 116. Is morbus num pestilentiae vulgaris signa prae se tulerit, ex Actis Demetrii difficile intellectu videtur. Valde tamen civitatem Thessalonicensium isto malo fractam, insequentis Sclavinorum belli historia docebit.

*) Vide Benedictum Hasium ad Leonem Diac. pag. 263. ed. Paris., p. 510. ed. Bonn. Adde Schlosseri bilderstürm. Kaiser pag. 34 sq.; quanquam Anonymi bellum, e Leone Allatio ibidem allatum, non primam Sclavinorum Thessalonicae sub Mauritio obsidionem spectat, sed secundam, multo maioram, eiusdem imperatoris aevo tentatam. V. nos p. 46. not.

Bellum Sclavinorum Thessalonicense secundum. Avarus legatos, ut quaedam peterent, ad Mauritium imperatorem (a. 582 — 602) misit. Ii cum re infecta reversi essent, barbarus, ira effreni incensus, omissa Constantinopoli aliud excogitavit. Cum enim omnibus Thraciae Illyricique civitatibus eo tempore Thessalonicam metropolin opum hominumque solertium multitudine excellere, Graecorumque imperatori maxime eam cordi esse sciret, convocatam ad se immanem Sclavinorum gentem, quae omnis ipsi parebat, item aliorum barbarorum vim Thessalonicam petere iussit. Fuit is maximus eorum, quibus prisco tempore obsessa civitas dicitur, exercitus, aliis plus centum millia armatorum, aliis pauciores, aliis multo etiam plures fuisse existimantibus. Ea vero multitudo tanta celeritate iter suum conficere iussa erat, ut eam nonnisi uno ante adventum die adesse Thessalonicenses noverint. Erat mensis Septembris dies vigesima secunda, eaque dominica, cum incolae, vix quatuor vel quinque dierum intervallo hostes apparituros rati*), eam ipsam ob causam in custodienda urbe satis negligenter versarentur. Verum barbari insequentis diei nocte prima sine strepitu ad muros accesserunt, sanctique Demetrii artibus obcoecati, Matronae martyris templum **), ubi primus quoque Sclavinorum irrumpentium exercitus consederat, pro ipsa urbe habentes, aliquamdiu ibi detenti quieverunt. Postero mane cum urbem prope abesse vidissent, conferto agmine accedunt, scalasque moenibus admovent. En aliud S. Demetrii miraculum. Non enim amplius spirituali obumbratione (*ἐπισκιάσει νοητῇ*), sed cadente sub aspectum actione Sanctus militaris hominis habitu in muro apparuit, primumque barbarum, per scalas ascendentem, hasta percussum deturbavit. Fit inde civium armatorum ad moenia concursus, qui immensam sibi hostium multitudinem (iam autem Septembris dies XXIV illuxerat) circumfusam conspicantur. Sequitur obsidio urbis, simul castellorum extra positorum ac suburbiorum occupatio (AA. SS. l. c. cap. 107 — 115. p. 143 sqq.).

Fuit eo tempore Thessalonicae nostrae status perquam miserabilis, immo paene conclamatus. Afflixerat eam pestis, quam supra memoravimus, ad mensem usque Julium grassata, quum brevissimi temporis, quinquaginta dierum, remissione divinitus concessa, barbarorum exercitus inopinatus accederet. Incolarum supererant oppido pauci, viribus per morbum attriti senesque; unde Avarorum rex (bello ipse non intererat, coll. AA. SS. l. c. cap. 123. p. 149) facilem urbis expugnationem fore exspectabat, quod postea e transfugis cognitum (ibid.). Quod vero maximam consilii inopiam afferebat, id erat, quod civium militumque pars minima in urbe esset, multitudine (erat vindemiae tempus) in agris exclusa. In Graeciam post pestem

*) Conterminos iam tum Sclavinos urbi fuisse, ex hoc Actorum loco iure quis negabit. Adde Nos pag. 47.

**) Φρούριον (castellum) dicitur ista ecclesia. Fuit igitur munimenti instar, exteriorem urbis nescio quam partem defendentis.

multi nobilium atque etiam militum abierant, negotiorum publicorum necessitat evocati; alii, nec ii pauci vel ignobiles, Constantinopolin profecti erant, apud Mauritium imperatorem lege acturi adversus eum, qui Thessalonicae tum praesidebat (AA. SS. ibid. cap. 116. p. 145 sq.). Nec tamen prudentioribus inopinatam prorsus belli atrocissimi calamitatem venisse video. Octavo enim vel decimo ante obsidionem die Eusebius, Thessalonicensium ea aetate archiepiscopus, supra memoratus pag. 32., per nocturnam quietem in publico civitatis theatro *), magna praesente spectantium multitudine, assidere sibi visus, quum loco, dignitati suae minus conveniente, abire vellet, conspexit tragoedum in eam theatri partem, quod λογεῖον (pulpitum) dicitur, ingredientem, sibique dicentem: *exspecta: namque te et filiam tuam lamentari debeo.* Erat ea viri sancti filia Thessalonicensis civitas (AA. SS. ibid. cap. 120. 121). Attuli haec in compendium contracta, addamque deinceps alia, tum ad genium aevi significandum (somniis ac visionibus omnem ferme Byzantinorum historiam innixam video), tum ad memoriam praesulis eximii, Eusebii modo dicti, ab iniusta oblivione vindicandam. Is enim vir sanctus praefecti locum, qui per omne bellum bis tantum memoratur (cap. 112. 123.), nisi titulo, tamen reapse obtinuisse mihi videtur; nec valde errabunt, qui magnas eius partes in servanda civitate fuisse existimaverint, quanquam more suo Acta s. Demetrii omnia soli Sancto tribuant. Verum ad ipsam belli narrationem recurro.

Obsidionis primo die barbari commeatum, captivos, frumenti quam plurimum, aliorum, quos rapuerant, fructuum copiam colligebant. Omnia enim, quae ex agricultura erant seposita, foris adhucdum existebant, licet barbarorum multitudini vix in diem suffectura; qui brevi post, ad alia nutrimenta delati, fame premebantur. Eadem vespera terrae motus cum fulguribus et fragoribus accidit, testante Anonymo l. c. cap. 124. p. 149 **). Postridie magnam tormentorum suppellectilem iumenta barbarorum urbi advehunt, inter quae cameli (cap. 125. 135). Sequitur tertio die ipsa urbis obsidio, incolis indesinenter S. Demetrium in eius templo implorantibus (cap. 125 — 130). Ab isto inde die multi hostium ad transfugiendum pellecti, in balneis publicis, quorum nullus tum usus, collocabantur. Multum ea res ad erigendos obsessorum animos contulit, primis diebus de sua iam salute desperantium; de-

*) Praesul somnians ni vetera novis miscuit, erit hic locus documento, fabulas quasdam scenicas vel tum (seculo sexto) Thessalonicae doctas fuisse. Quid? quod adeo seculi duodecimi fine easdem antiquitatis reliquias ibidem deprehendisse mihi videor (Eustath. opusc. p. 106, 80. 90).

**) *Πειραθέντες*, ait, *ἐναργῶς λέγομεν* (*experientia clare edocti loquimur*). Terrae motus alius in bello Sclavinorum quarto accidit, de quo v. sqq.

inde viri cuiusdam Thessalonicensis visio (ἔκστασις), illustrium dignitate, sic vocabantur, condecorati *). Is ante Demetrii fores stare sibi visus; deinde aedes ingressus, inque ciborium Sancti intromissus, Eum vidit angelica forma sedentem, et de civitate sua preces ad Deum O. M. cum multis lacrymis fundentem. S. Demetrius deinde cum viro illustri collocutus, bono animo esse iubet. Ea re divulgata, animus civium admodum auctus dicitur (ibid. cap. 154. 155). Ferocior barbarorum pars eo die partem civitatis borealem atque occidentalem multis tormentis vexavit; aggerem quoque ligneum mari iniecit, in portum urbis inde irruptura **). Verum aggerem rives machina quadam fractum per mare disiecerunt. Vexata quoque tormentis pars urbis orientalis, et primum quidem porta Cassandreotica. Testatur hoc Anonymus huius narrationis auctor, qui ibi militantibus suis interfuit ***). Barbari infecta re discedunt. Dein moenia istius partis subruere conati, a militibus repelluntur (cap. 134. 135). Quarto die eandem urbis partem (orientalem inquam) ingentes lapides e tormentis missi petunt; verum igneis telis machinae incensae. Iterum hostes abscedunt. Sequitur quinto die maximus omnium ac saevissimus in eandem murorum partem impetus. Usi eo loco Sclavini tormentis plus quinquaginta, a quorum vi variis tegumentis obsessi moenia defendebant (cap. 139. 140). Eodem die vel insequenti incolae, per portam maritimam eruptione facta, quosdam hostium obtruncant (cap. 142). Septimo belli die (erat dominica) quietem agebat barbarus, novae pugnae (sic visum) se accingens. Jam vero hora octava, nemine exspectante, tentoriis relictis, fugientibus similes eius milites montium urbi imminentium cacumina petunt; ubi per horas tres commorati †), eiusdem diei vespera nullo iam ordine servato castra repetunt. Insequentis diei mane multi quidem hostes ad moenia accessere; sed pars longe maior per noctem absque strepitu dilapsa erat (cap. 144. 145). A transfugis cognitum, peste barbaros laborasse; territos quoque visione quadam dominicae antecedentis hora octava. Cum enim ad montes fugerent, Thessalonicensium copias, spe multo maiores, e portis emitti sibi visas, ductu viri lucidi et paludati, equo albo vecti (cap. 123. 145 — 148).

In ea obsidione multum incolas iuvit, quod hostes, non subito impetu urbem tentantes, diebus aliquot praetermissis opus suum aggressi sunt. Idem in tertio

*) AA. SS. l. c. cap. 149 (pag. 138): Ὡς ἔφη, καθ' ὕπνους, ὡς δὲ ἀκριβέστερον τοῖς γνησιωτέροις ἐλέγη, ἐν ἐκστάσει γενόμενος: *ut ipse dixit, per somnum, ut vero diligentius ab iis relatum est, qui sunt accuratiores, per exstasin.*

**) AA. SS. l. c. cap. 132.: ξύλινον γῆν (immo χοῦν) καὶ πλατεῖαν: *ligneum aggerem et plateam.*

***) AA. SS. l. c. cap. 132. p. 132. Hunc locum affert Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 97. Male eum Schlosserus (bilderst. Kaiser p. 33. not.) ad bellum anni 584 trahit.

†) AA. SS. l. c. 144: ἰδόντες, ἃ εἶδον, ὡς ὕστερον ἔγνωμεν: *cum vidissent, quae videbant, ut deinde cognovimus.* Sensus vocum satis tectus e sequentibus elucebit.

Sclavinorum bello accidit. Ceterum tormentis egregie tum ac posthac instructos videmus, quorum genera rei militaris curiosi ex Actis sancti Demetrii cognoscent. In tempore huic obsidioni assignando anceps haereo, quanquam peste non semel memorata aliquid lucis huic nostrae quaestioni allundi video. Mauritii imperio et hoc bellum et antecedens tribuendum esse, supra docuimus. Jam vero cum Justinianea, quam dicunt, pestis, anno 531 Cpolin adorta, annos vero 63 (paulove plures) grassata *), seculi sexti fine desiisse dicatur, ex annis autem 581 — 603 solus annus 597 Septembris die XXII dominicam habuerit, parum abest, quin bellum Sclavinorum secundum, quocum Thessalonicensis pestis (si vere fuit Justinianea) iungitur, anno Christi 597 accidisse putem. Quid? quod paulo ante (ut videtur) regi (chagano) Avarorum, qui Sclavinorum turmas Thessalonicae immisit, febris ac pestis septem filios eum magna gentis multitudine exstinxit, coll. Strittero Avaricorum cap. 117. (Memor. T. I. p. 728). Brevi post primam incursionem hoc bellum evenisse Hasio videtur (ad Leonem Diaconum lib. X. p. 510. ed. Bonn.) **). Notandum quoque in fine huius expositionis, Anonymi narrationem nil quidem de sedibus illorum Sclavinorum prodere; nondum tamen Thessalonicensi agro conterminam tum temporis gentem barbarorum fuisse, e silentio eiusdem auctoris coniicio; quem, si Sclavini isto iam aevo prope Thessalonicam sedissent, non magis id taciturum fuisse puto, quam reliquorum Sclavicorum bellorum scriptorem Anonymum posteriorem (AA. SS. l. c. cap. 158 sqq. pag. 162 sqq.), alii aevo assignandum, quod deinceps monstrabo. Is enim sedes illorum, tum Macedonicas, tum Thessalicas, significare nunquam ~~omittit. Aliis tamen~~ gentibus, Istrum transgressis, propiores illos Sclavinos Macedonicae metropoli iam sexto seculo fuisse, inde vix temere coniici posse existimo, quod iis potissimum praeter alias gentes, quorum nomina tacentur, belli Thessalonicensis administratio ab Avarorum chagano mandatur (AA. SS. l. c. cap. 109).

Bellum Sclavinorum secundum brevi intervallo fames secuta ***), totam cum ipsa civitate regionem pressit, non solum ob vastationem agri hostilem, quae maxima fuisse videtur, sed aliam quoque ob causam. Quippe rumor incesserat, captam a barbaris Thessalonicam; quo moti omnes, qui maritimam mercaturam exercebant, urbe devitata, aliorsum merces suas vehebant. Verum nec ea tempestate Sanctus

*) *Hecker*, Gesch. der Heilkunde. Berol. 1822. 1829. Tom. II. p. 135 — 154. 433.

**) Ad annum 599., Mauritii imp. 18., Avaricam pestem Stritterus reiicit l. c., quamquam e Theophylacto Simocatta (hist. 7, 15.) anterior aliquis annus probabilis esse videtur. Et vide, ne ipsi Sclavini morbum, primi belli occasione, Thessalonicensibus intulerint. Aliud tamen narratio Anonymi nostri suadere videtur; et Justinianeam pestem maritimis potissimum commerciis sparsam puto, coll. Hecker. l. c. T. II. p. 143. Pestem vero cum fame iterum deprehendo imperante Phoca (602 — 610), coll. Theophan. chronogr. p. 248. ed. Paris.

***) AA. SS. l. c. cap. 65. pag. 127., coll. cap. 124.

opem patriae suae ferre detrectavit. Is enim (sic fertur) Stephano cuidam nauclero, maximum frumenti onus vehenti, et regiam Byzantii urbem petenti, ad insulae Chii plagam, eo habitu, quem imagines eius referunt, sumto, clare per tempus diurnum in navi adstitit, hortans, ne Constantinopolin iret, sed Thessalonicam; dein obviis navibus urbem servatam esse nuntiaret, eodemque ire iuberet. Obsequitur Stephanus, cursuque mutato Thessalonicam navigat, Sancto diu per fluctus maritimos praeeunte; simul praeternavigantibus aliis, ut eodem properent, suadet. Ita factum, ut ante reditum legatorum, qui ob famis calamitatem ad Mauritium imperatorem profecti erant, ciborum penuria civitas solveretur (AA. SS. l. c. cap. 65 — 68).

Brevi ante habitam Anonymi nostri orationem (scripsit autem non multo post obitum Mauritii imperatoris a. 602) alia fames civitatem nostram, immo ipsum Graecorum imperium cum urbe regia invasit; quae calamitas num scriptoribus coaevis memoretur, nondum inveni. V. tamen Theophan. chron. p. 248. ed. Paris. Obiter monendum, eam famem nemini debere miram videri. Namque Mauritii aevo, quo funestius in Graecorum historia vix aliud inveni, exceptis paucis admodum locis, regnum Europaeum, unde victus Constantinopoli reliquisque urbibus veniebat, adeo devastatum fuisse videtur, ut frumenti peregrini advectione maritima opus esset, quam tamen Sarazenos saepius impediisse puto. Sic factum, ut foecundissimae terrae, Macedonia inquam et Thracia, imperii Europaei antea nutrices, frumento externo indigerent, quod Acta S. Demetrii non uno exemplo monstrant. Verum redeo ad meos Thessalonicenses. Eos fames, imperio Mauritii, vel Phocae (a. 602 — 610), non improbabiliter assignanda, adeo tum temporis exagitabat, ut a tumultu prope abessent. Sed ecce idem ut supra sancti Demetrii auxilium derepente apparuit. Is enim, ut Actorum verbis utar, diviniori obumbratione nautis plurimarum regionum intellectualiter suasit, ut naves suas (instabat autem hiems) omni victus genere onustas Thessalonicam veherent. Obumbrationem illam intellectualem sequens historia aperit, ad significandum aevi genium brevissime narranda. Vir pius, cuius ministerio magnus Abydi comes utebatur, eius iussu Chium insulam tenebat, frumento (sic mihi videtur) Cpolin fame pressam advehendo prospiciens. Is homo de navium mora dolens, atque animum ob raritatem appellentium despondens, per somnum habuit visionem; deinde etiam vocem audivit expergefactus, visioni respondentem: *quid animum despondes? Scito, S. Demetrium tibi assidere, navesque hinc omnes datis arrhis praereptas Thessalonicam mittere.* Ille anxius ob comitem Abydi, ne vilis ab eo reprobusque in munere haberetur, in S. Isidori martyris templum, quod in Chio insula est, se confert, ut ab incolis, quis ille Demetrius esset, edoceretur. Ibi incidit in homines male sanos, quorum daemones licet inviti veritatem ei manifestant, per convicia S. Demetrio ingesta clamantes, eum ipsum hastis confossum (Sanctum sc.) naves omnes Thessalonicam abduxisse. Quibus auditis vir pius, somnium suum

vocemque auditam firmius quidem amplectens, veritatem tamen non discernens, Illyrici praefectum suspicatur hominem suum, Demetrium, misisse, qui nautas frumentarios suasione sua vel vi Thessalonicam mitteret; statimque suspicionem suam eidem praefecto, Thessalonicam tenenti, per literas aperit; dein etiam comiti Abydeno (a quo timebat), qui totam rem imperatori piissimo denuntiat. A quo Illyrici praefectus per literas increpitus, iuramento se obstrinxit, neminem a se missum, nisi in Siciliam (ob frumentum puto: Actorum enim verba haec et alia tacent); eum vero necdum reversum, nec Demetrii nomen habere (AA. SS. l. c. cap. 69 — 75. pag. 129 — 131). Eadem praefectus auctori huius narrationis dixit, Chiumque scripsit Abydeni comitis ministro. Vidimus pristini aevi, quam dicunt, superstitionem, eo quoque nomine singularem, quod S. Demetrius iam tum non solum per somnia vim suam fere divinam exercebat, verum etiam ut Dioscurorum unus nautis assidebat; cuius rei aliud exemplum paulo inferius afferemus. Taceo de arrhis, quas nautis Chium appellentibus Byzantiumque petentibus ab ipso S. Demetrio datas narratio Anonymi perhibet. Unusquisque enim opes Sancti publicae calamitatis occasione a clericis Eius prudenter sane ac perhumane erogatas intelligit; nec facit, ut sententiam mutem, praefecti Thessalonicensis iusiurandum ipsi imperatori delatum. Alia enim licebant viris sanctis, licet urbi regiae victum abstrahentibus (frumentum Chium insulam praetervectum urbis regiae erat); alia secularis administrationis hominibus, qui e remota Sicilia Thessalonicensium suorum annonae prospicere iubebantur. Liberalissime vero Thessalonicenses seculo duodecimo, capta per Normannos urbe, eiusdem S. Demetrii opibus nutritos fuisse, alio huius dissertationis loco exponemus.

Sub Phocae imperio, quod Mauritium excepit *), maximis turbis regnum Graecorum lacerabatur. Motus Oriens, Cilicia, Asia, Palaestina et omnes regiones ad regiam usque Byzantii urbem; adeo ut populis, contribulium sanguine in foro inebriari, non solum non sufficeret, sed iam etiam in aedes suas irruerent, mutuisque caedibus se obtruncarent; qui vero in tecta profugerant, eos desuper proturbarent; cognatos quoque exspoliarent, domosque incenderent (AA. SS. l. c. cap. 77. p. 132). **) Mali

*) Occisus a. 602. Mauritius, imperator non in omnibus contemnendus. Conf. *Lebeau*, histoire du bas-empire, ed. *de St. Martin.* lib. 51. cap. 42 (T. X. p. 196 sq.). *Beatae memoriae* (ἀοιδίμου λήξεως) formula bis de eo utitur noster Anonymus (cap. 76. 109); ergo post imperatoris mortem scripta eius narratio. An sub Phoca, eius successore (602 — 610), dubium. Mihi tamen formula illa satis persuadet, non sub Phoca Anonymum scripsisse, sed initio fortasse Heraclii (610 — 641). Namque Phoca imperante, a quo Mauritium regno vitaque privatum constat, nemini puto Mauritium *beatae memoriae* imperatorem dicere licebat. Accedit totius narrationis habitus, qui orationem nostram durante Phocae tyrannide scribi haberique vix potuisse, cuivis docto persuadebit.

**) De Phocae imperio v. *Lebeau*, hist. du bas-emp. ed. *de St. Martin.* T. X. p. 413 — 452. T. XI. p. 2 sq.

orientalis fama, in Illyricum perlata, ibi quoque motus quosdam excitavit. Maxime tunc Thessalonica dissensione civium mutuaque suspicione laborabat, suumque ipsius interitum sic iam parturiebat, ut ad ensem adversus omnes emittendum minima causa indigeret. Quod malum ne erumperet, divinâ providentiâ cautum Sanctorumque ineffabili obumbratione (ἁγίων ἀῤῥήτῳ ἐπισκιάσει). Vir enim modestus, Illyricique praefecto (quod non praetermittendum) cognatus, e Graecia *) profectus Thessalonicam appulit; in qua civitate (nondum eius turbatum ordinem audiverat) huiusmodi somniorum visio ei apparuit. More eorum, qui (per maria maxime) primum in eam civitatem veniunt, nil antiquius habuit, quam ut sanationum fontem, S. Demetrii inquam templum, adiret. Aedes sacras ingressus cum orasset, conspexit magnificum monumentum per mediam ecclesiae longitudinem exstructum. Edoctus a praesentibus de eius operis consilio (erat S. Demetrii ciborium) **), propius accedit, intromitti gestiens, ut, quae intus sunt, lustret. Apertis monumenti ianuis vidit lectulum argenteum in medio positum; buius vero ad partem, quae ad caput est, thronum auro gemmisque solidum, eique Sanctum eo, quo pingitur, habitu insidentem; ad eam autem, quae ad lectuli pedes est, thronum alterum, argenteum, cui imposita erat mulier quaedam decentissima visuque pulcherrima, fixis in Martyrem oculis hunc ipsum intuens. Ea tum loco suo surgens, exire e ciborio vult. Verum S. Demetrius, impetu maximo et ipse surgens, manu mulierem retinet, retractamque in throno suo rursus collocat, addito: *per Dominum, ne hinc exeas relinquasque civitatem, cui semper quidem, sed hoc potissimum tempore necessaria es!* Peregrino intrare non auso monumenti aedituus, quum ille, quaenam illa mulier esset, rogasset, *haec est,* respondit, *domina Eutaxia* (κυρία Εὐταξία, bona rerum ordinatio), *quam Sancto Deus multo a tempore collocavit* (παρακατέθετο). *Eam ille custodit, nullo modo exire sinens.* Expergefactus peregrinus praefecto sibi cognato, quae per quietem viderat, narrat; uterque de sensu visorum, quem ipsi non assequebantur, per mo-

*) *Ἑλλάδα* (Helladem) Acta nostri Sancti hoc loco et alibi veterem Graeciam dicunt, oppos. regno Graecorum universo (*Ῥωμαίων βασιλείᾳ*). V. partem dissertationis geographicam, ubi per portus Thessalonicensis occasionem hanc dictionem illustrabimus.

**) Sequitur in Actis (cap. 82. 83. p. 133. 134) operis pretiosissimi descriptio, unde quaedam eorum s. amplificari s. emendari posse video, quae alii docti de ciboriis ecclesiarum Graecarum narrarunt. V. Cang. gloss. Lat. et Gr. vv. *ciborium*, *κιβώριον*, *κιβούριον*. Adde Bened. Hasium ad Leon. Diac. lib. X. p. 510. ed. Bonn. Discrimen vero, a Cangio (Gloss. Gr. vv.) inter *κιβώριον* et *κιβούριον* statutum (ut illud sit *umbraculum altaris*, hoc vero *conditorium sepulcrale*), non agnoscunt Acta Sancti nostri, siquidem recte ea edidit Cornelius Byeus. S. Demetrii enim monumentum sepulcrale, in eius ecclesia collocatum, semper *κιβώριον* dicunt, non *κιβούριον*. Idem hoc ciborium puri sermonis studiosissimus Eustathius (Opusc. p. 294, 1. 296, 60. 299, 40) simpliciter *τάφον* (sepulcrum) vocat, tum quoque (a. 1185) argenti mole satis magna ornatum.

nachum rite edocti, rem omnem divulgant. Restituta dehinc civium concordia, quae proximo quoque biennio, innumeris modis tentata, Jesu Christo Sanctoque cooperantibus, intemerata permausit. Biennii modo dicti historia Thessalonicensis, qua Byzantinae res ut antea illustrari poterant, intercidisse videtur. Dolendum hoc maximopere. Phocae enim imperatoris res Europaeae luce sua historica admodum carent. Nos vero, relicto Demetrio, cuius Sancti cum Eutaxia muliere convictum mysticum Numae Egeriaeque consuetudini doctiores assimilabunt*), reliqua Thessalonicae bella Slavica sequentibus paginis enarrabimus.

Bellum Sclavinorum Thessalonicense tertium. Evenit hoc seculi post Chr. n. septimi parte posteriore, quum Thessalonicensem thronum Joannes II. teneret, qui sextae synodo generali interfuit, et subscripsit ut episcopus Thessalonicae vicariusque (βικάριος) apostolicae sedis et legatus (λεγατάριος), coll. Mich. Lequien. or. christ. II. 42. A. B. Pro sacris imaginibus eundem scripsisse, testantur Acta septimae synodi generalis, actione 5. (Mich. Lequ. ibid.). Sub Eius igitur episcopatu factum est **), ut Sclavinorum populus, numero infinito, ex Drugubitis, Sagudatis, Belegezitis, Baiunitis, Berzitis aliisque gentibus, quae monoxylis navibus a se inventis utebantur, congregatus, immane quantum insolesceret, Thessaliamque omnem et insulas iuxta illam et Graeciam sitas, dein Cycladas, Achaiam, Epirum, totum fere Illyricum atque Asiae partem vastaret, denique Thessalonicam quoque terra marique oppugnare constitueret. Et naves quidem iuxta plagam urbis maritimam collocatae; terrestris vero exercitus ab oriente, septentrione atque occidente civitatem ita circumdare coepit, ut familias quoque suas pro-

*) Occurrit quoque veteris Graeciae Hora Eunomia, a Pindaro (Olymp. XIII. in., coll. Dilucc. nostris T. I. p. 410) ut boni status Corinthiorum civilis diva praeses, cum sororibus Dice et Irene laudata. Sanctus autem Demetrius non solum corporum atque animorum humanorum arbiter Thessalonicensibus, ut alter Apollo medicus vatesque, fuit; verum etiam terrae, maris, aëris, ventorum, pluviae dominus (Eustath. opuscc. pag. 180, 20. 50. 181, 50. 60). Horarum itaque sacra, praeter alias veteris religionis partes, in hoc Sancto servata et continuata.

**) Anonymus AA. SS. l. c. cap. 158., antecedenti Anonymo posterior, narrationem suam sic inchoat: *ἐγένετο τοίνυν, ὡς εἴρηται...* (*evenit itaque, quemadmodum dictum est...*). Videa, antecessisse alia, quae iam desiderantur. Similia eiusdem scriptoris desiderantur in bello Sclavinorum quarto, quod vida; item in seqq. Anonymus paulo post addit: *διὸ δή, ὡς οἶμαι, μὴ συγγράψασθαι λοιπὸν τὰς ἑτέρας, ὡς προείπομεν ἐν ἑτέρῳ, πολιορκίας* (*hincque opinor, non scripsisse illum postea, ut alio loco diximus, reliquas obsidiones*). Scripserat igitur Joannes narrationem antecedentium quarundam obsidionum; eas, quae suo aevo acciderant (erant duae), omiserat. Joannis narrationem iam non habemus; sed fieri potuit, ut praesulis illustris nomen prioris nostri Anonymi commentario (quod factum in Mss.) imponeretur, quanquam hic idem Anonymus, Joanne II. seculo dimidio prior, rerum ab ipso narratarum testem ocularem se haud dubie ostendit. De his v. quoque Corn. Byeum praev. commentar. cap. 22 sqq. Bened. Hasium ad Leon. Diaconum lib. X. pag. 511.

miscuas cum earundem supellectile adveherent, in civitate post expugnationem haud dubie sedem fixuras. Erat iis diebus Thessalonicae status paene iam conclamatus. Naves indigenarum ac vicinorum nullae relictae, quae nisi aliud tamen ostium portus defenderent; consternatio vero a profugis Christianis urbi illata talis fuit, qualem vix aliam pristino aevo fuisse compererant. Eam desperationem quomodo Deus O. M., precibus S. Demetrii non despectis, in hostium capita retuderit, sequentis narrationis compendium exponet (AA. SS. l. c. cap. 158. 159. p. 162 sq.).

Primi dies ab obsessis, qua opportunitate in superioribus quoque bellis usi fuerant, ad animum colligendum resque suas ordinandas absumti. Barbari eo tempore nil egere, nisi ut naves suas adversus telorum iactum pellibus contegerent; dein stupiditate a Sancto illis iniecta, non recto ad moenia cursu accederent, sed sinuosum quendam locum, Cellarium antiquitus dictum, navibus suis occuparent, unde fallaciae quid adversus portum meditarentur. Ibi quum detinentur, cives, audacia recepta, portus ostium externum catena, scalis ligneis inserta, obstruunt; intus vero naves, ligno advehendo inservientes (cubaias dicunt), colligatas eidem ostio apponunt. Simul eam urbis partem, cui vicinum intaminatae Deiparae templum, cum esset negligentius munita, fossa firmant, adque hostem eludendum vel propulsandum varia instrumenta ibidem collocant (AA. SS. l. c. cap. 160. 161. p. 163).

Triduo inter has civium operas elapso, cum Slavica classis duorum circiter milliarium spatio moenia speculandi causa circumvecta esset; die quarto, statim atque aurora illuxit, universa barbarorum gens, clamore sublato, in muros civitatis irrupit, aliis lapides per tormenta iaculantibus, aliis scalas admoventibus, aliis ignem telorumque nimbum mittentibus. Simul fortissimorum classiariorum alii partem urbis supra memoratam, ubi Deiparae templum, alii turrim, scalae ecclesiasticae ex occidente appositum, magna vi adoriuntur (AA. SS. l. c. cap. 162. 163. pag. 163. 164).

Eo tempore propugnator patriae suae gloriosissimus, S. Demetrius, chlamydem albam ferens, ac primum quidem moenia percurrens, deinde vero supra mare, veluti in solo, cursim ambulans a plurimis dilucide fuit conspectus, non solum Christianis, hoc spectaculo dignatis, verum etiam genuinis Ebraeorum filiis *). Maxima tum Slavicae classi perturbatio a Martyre immissa, quae tanta fuit, ut naves navibus illiderentur, nautaeque mutua caede contrucidarentur. Factum hoc Sancti artibus, sic volentibus Actis (cap. 164. 165). Veritas tamen omnis non intercidit, quamquam Anonymus Actorum scriptor rem modo narrandam post conturbationem navium ac-

*) Habuit ergo Thessalonica vel seculo septimo incolas Ebraeos, quod addendum superioribus pag. 9 — 11. Memoratus ibidem *gutturum* locus (*τὸ λεγόμενον τῶν βρόχθων μέρος*) fueritne intra urbem, an extra, nondum inveni.

cidisse narrat. Cum enim venti (erat hora diei secunda) tempus iustum nondum adesset, statim ventus peregrinus afflavit, ut residuae barbarorum naves movere ad revertendnm non possent. Sic consummata earum clades *). Abscissa hostium capita exercitui Sclavinórum terrestri e muris cives monstrarunt. Bellum terrestre Acta non ulterius prosequuntur. Non minus tamen lugubre barbaris fuisse, inde cognoscitur, quod ducem eorum (ἔξαρχον) Chatzon (Χατζῶν) **) captum a Thessalonicensibus legimus. Is regulus pro more suo, essetne Thessalonicam ingressorus, oraculi petitione discere voluerat. Responsum, fore ut ingrederetur. Quod quomodo factum sit, modo narravi. Eum primores quidam civitatis, domi suae, lucri alicuius ac morum improborum causa (καὶ τρόπων οὐκ εὐλόγων χάριν, i. e. impudicitiae), absconderant. Verum mulieres, a Sancto, Jesu Christi consiliis edocto, excitatae, e domo, ubi latebat, eductum tractumque per civitatem lapidibus oppresserunt. Addit Anonymus in fine orationis suae, nolle se iis, quae rustico sermone ***) de Sancto narraverit, fidem ab audientibus negari. Quodsi enim quis haec pro falsis habeat, is, inquit, lustret tabulam, ad ligni †), quod vocant, locum suspensam, in qua omnis ordo belli pictus conspicitur. Vixit igitur Anonymus noster non ipso huius belli Slavici conflictu, immo satis remoto hinc tempore, seculo octavo. Quomodo enim coaevus ad defendendam narrationis suae fidem tali argumento uti poterat? Ceterum Anonymus quoque antecedens contra incredulos narrationis suae anditores passim disputat, miraculorum veritatem defendens, non rerum gestarum. Sclavinos vero fuisse, non uno loco Acta S. Demetrii testantur. V. cap. 158 — 160. 164. 166.

Antequam ad bellum Sclavinorum Thessalonicense quartum transeo, brevissime dicendum de ea narrationis Actorum Sancti parte, cuius mihi momentum prae ceteris primarium in hoc historiae Byzantinae stadio esse videtur. Sunt nomina gentium Macedoniae Thessaliaeque Slavicarum. Affert Anonymus noster **Drugubitas, Sagudatas, Belegezitas** ††), **Baiunitas, Berzitas**, alios, quorum nomina

*) Imprudenter administratum tum hoc bellum a Sclavinis puto, tum antecedens utrumque. Classemque nautarum stupor perdidit, dein ventus, cuius non ultimae partes in confundendis hostium consiliis fuere. In reliquis miror, quod ventus peregrinus non eidem Sancto (ventorum arbitro) tribuitur, cui nautarum consternatio. Sed erant quaedam relinquenda providentiae divinae, inter quam Sanctumque divisa fere Thessalonicensium rerum cura coelestis.

**) Vox *Chatzon* viri dignitatem, non ipsum nomen significare mihi videtur. Sed decernent linguae Slavicae docti.

***) Sermonis minus elegantia signa reliquus quoque orationis tenor prae se fert. Summi vero ordinis clericum talia de se confessum non credo; immo diaconum quendam vel lectorem Thessalonicensem, minime tamen imprudentem indoctumque, orationis huius auctorem esse suspicor.

†) Lignum pro turri ecclesiae Demetriacae dictum puto, in quo ξύλον (*campanam* dicimus, quanquam alia huius signi apud Graecos forma) appositum fuit.

††) Inscriptio huius sectionis in AA. SS. l. c. haec est: *Περὶ τῆς κατασκευῆς τῶν Δραγουβιτῶν, Σαγουδατῶν, Βελεγεζιτῶν καὶ λοιπῶν* (*de apparatu s. expeditione Dragubitarum* rell.).

omittuntur. Has Sclavinorum gentes apud alios scriptores Cornelius Byeus (AA. SS. l. c. pag. 164) non invenisse testatur. Sed Drugubitarum (Dragubitarum) et Sagudatarum nomina Byeo non inspectus Cameniata praestat (de expugnatione Thessalonicae Sarazenica anni 904. cap. 6.): *Διήκει δὲ, τὴν ἡλίου δύσιν ἀποσκοποῦν, ἕως τινῶν ἄλλων παρατεινόμενον, ἔνθα καὶ πόλις τις Βέῤῥοια καλουμένη κατῴκισται, καὶ αὐτὴ περιφανεστάτη τοῖς οἰκήτορσί τε καὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις, οἷς αὐχεῖ πόλις τὴν σύστασιν. Ἐμπεριέχει δὲ τῷ διὰ μέσου χώρῳ τὸ πεδίον τοῦτο καὶ ἀμφιμίκτους τινὰς κώμας· ὧν αἱ μὲν πρὸς τῇ πόλει τελοῦσι, Δρουγουβῖται τινὲς καὶ Σαγούδατοι τὴν κλῆσιν ὀνομαζόμεναι· αἱ δὲ τῷ συνομοροῦντι τῶν Σκυθῶν ἔθνει οὐ μακρὰν ὄντι τοὺς φόρους ἀποδιδόασι. Πλὴν γειτνιάζουσιν ἀλλήλαις αἱ κῶμαι κ. τ. λ.* I. e. *Procurrit vero ad solis occasum* (planities), *ad alios* (montes) *protensa, ubi civitas quaedam, Berroea nomine, condita est, ipsa quoque incolis maxime clara reliquisque omnibus, quibus ea, quae urbis locum ordinemque tenet, gloriatur. Planities illa medio suo ambitu pagos quosdam mixtos complectitur, quorum quidam urbis ditioni parent, Drugubitae et Sagudatae nomine; alii vero conterminae Scytharum genti, non admodum dissitae, tributa solvunt. Ceterum pagi e proximo invicem habitantur.* Ex his planum est et apertum, Sclavinorum Drugubitarum et Sagudatarum pagos, sibi conterminos, Thessalonicae et Berroeae vicinos fuisse; utri civitati seculo X (Cameniatae aevo) paruerint, Berroeae an Thessalonicae, e Cameniatae verbis non satis clarum. Urbis tamen (*πόλεως*) simplex usus Thessalonicam significare videtur; eodemque ducit capitis 20 contextus, ubi Cameniata *τῶν πλησιοχώρων*, ait, *Σκλαβίνων, τῶν τε ὑφ' ἡμᾶς τελούντων, καὶ τῶν ὑπὸ τὸν στρατηγὸν Στρυμόνος*: *vicinorum Sclavinorum, tum eorum, qui sub nostra ditione sunt, tum qui sub potestate ducis* (*στρατηγοῦ*) *Strymonii.* Ubi ducatum Strymonium (sub regno Graecorum) a ducatu Thessalonicensi, item Graeco, discretum vides *). Memorantur ibi alii Scythae, liberi etiamtum, Sclavini puto, ut modo dicti. Nomina eorum ignoro. Sedes autem fixas hi Sclavini iam seculo VII in Macedonia habuere, persuadente contextu Actorum S. Demetrii. Venio ad Sclavinos Belegezitas. Eosdem, ut antecedentes, in Macedonia occidentali invenisse mihi videbar, ob urbem similem tabularum geographi-

*) Sclavinos Drugubitas et Sagudatas e Camaniata (cap. 6., coll. 20) acute elicuit Stritterus Slavicorum capite 122 (Memor. T. 2. p. 95). Drugubitas in tabula Cousineryana (Voyage en Macédoine), et quidem in voce corrupta urbis *Egribudschiak*, Haliacmoni fluvio appositae, invenisse puto. Sagudatum, infra in Actis repetitum, praeter haec ipsa et Cameniatam l. c. c. 6., alibi non deprehendi. Ceterum vox *Drugubitae* (*Drogobitae*) idem mihi sonat quod Rossicum *Dorogobusz*. Et Drugubitas Rossicos seculi X principi Ciabae (Cioviae) subiectos dicit Constantinus Porphyrog. de admin. imp. cap. 9.

carum *Bichlista* *); sed in Thessaliam me ablegant AA. SS. l. pag. 176 (secundum Excerpta Cornelii Byei). Flagrante enim bello Sclavinorum Thessalonicensi quinto civitas nostra frumenti causa naves misit ad Belegezitas, qui testibus Actis Thebas Thessalicas ac Demetriadem, ad sinum Pagaseticum (Volo) sitas, tum temporis tenebant, pacemque cum Thessalonica eo aevo agebant. Hos Belegezitas in hodiernae urbis Thessalicae nomine *Velestin* deprehendo, quae lacui Boebeïdi vicina est. Verum de his deinceps agam. Pergo ad Berzitas Actorum Sancti. Hos quoque Thessalicos esse puto, eorumque nomen mihi in voce *Farsa* (Pharsalus) tabularum geographicarum occurrit; quanquam aliis etymologia mere Slavica magis se probabit. Hos Sclavinos ut in Thessalia collocem, quomodo Belegezitas, praeter alia facit Actorum Sancti mos, harum Sclavicarum gentium paria singula iungendi, velut Sclavinos Drugubitas et Sagudatas, Sclavinos Strymonios et Runchinos, quod posterius gentium par deinceps nos illustrabimus. Baiunitae, inter Belegezitas et Berzitas ab Anonymo Actorum memorati, ubi terrarum quaerendi sint, nondum equidem extricavi. Atque hos quidem omnes Sclavinos, tum Macedonicos, tum Thessalicos, belli tertii tempore sedes suas in illis terris vere fixas habuisse, Actorum verba clare indubitateque docent. Avarorum vero chagano tum quoque ut antea subiecti fuerint, an solo iam foedere iuncti, Acta Sancti tacere video. Speciem quandam libertatis eorum belli sequentis historia praebet. Quo Graecorum imperatore hoc bellum acciderit, ex Anonymo non intelligitur. Cornelius Byeus (AA. SS. l. c. pag. 166) de Constantino IV Pogonato (a. 669 — 685), vel de Justiniano II. Rhinotmeto (685 — 695. 705 — 711) cogitat, multam calculi chronologici libertatem relinquens. Justinianus vix admittendus.

Bellum Sclavinorum Thessalonicense quartum. Id brevissimo post ultimum bellum intervallo in civitatem nostram ingruit. Sclavini enim, infamia cladis acceptae, dein captivorum fuga, Thessalonicam petentium, exacerbati, legatos (ἀποκρισιαρίους) ad Avarorum chaganum cum multis muneribus mittunt, eumque ad bellum Thessalonicense impellunt, alia emolumenta, tum ex propriis opibus, tum ex urbe, si eam cepissent, regi promittentes. Ignominiosum vero, aiebant, Avarorum principi fore, si, omnibus civitatibus circumcirca vastatis, haec sola superesset, omnesque Istri, Pannoniae, Daciae, Dardaniae, aliarum regionum perfugas reciperet, inque sinu suo foveret (AA. SS. l. c. cap. 169. pag. 167.). Alacriter Avarorum chaganus interiores omnes imperii sui nationes, una cum Sclavinorum omnium, Bulgarorum, aliarum gentium multitudine collectas, post biennium adversus Thessalonicam instruxit, praemisso equitatu, qui ad urbem vastando ac velitando acce-

*) V. *Pouquevillii*, summi Graeciae geographi, voyage en Grèce, ibique tabulam geographicam. Adde tabulam geographicam Franco-Galli Lapie.

deret, ipsum vero exercitum machinarumque bellicarum apparatum exspectaret (AA. SS. l. c. cap. 170. p. 167). Messem ea tempestate Thessalonicenses agebant *), quum hora diei quinta barbarorum equites ex improviso irrumperent. Hominum in agris versantium alii necati, alii cum iumentis reliquisque utensilibus capti. In urbe multa consternatio, quam Naisi (Nissae) Sardicaeque (Triaditzae Bulgarorum, nunc Sophiae) cives quidam prufugi aliquammultum augebant, barbarorum in oppugnandis urbibus vim invictam solertiamque narrantes. Verum Joannes archiepiscopus, quem antecedentis belli historia memoravit (pag. 45), rem sese acerbe gravateque haud ferre, in Deum vero sanctumque Demetrium omnem spem coniicere prae se ferens, corroboratis civium animis, ipse cum reliquo exercitu in moenibus manebat. Jamque paucis diebus post cum omnia ad resistendum parata essent, ipse Avarorum chaganus cum gentibus memoratis velut procella quaedam ex universa continentis plaga ad muros Thessalonicae appulit. Hostium multitudinem, quibus brevi nec annona advecta nec fluviorum puteorumque aqua sufficere videbatur, item tormentorum numerosam supellectilem (inter quae διαπύρους μαγγανείας, machinas igne candentes), Acta sancti Demetrii l. c. 171. 172. p. 168 vividis coloribus exponunt. Horum periculorum aspectu cum civitas animum modo refectum tantum non desponderet, Joannes archiepiscopus, ne languide quid animo ferrent, suos denuo hortatus, virum quendam fulgidum in somno vidit, hortantem, immo, ut bono animo esset, imperantem. *Namque*, inquit, *si omnis civitas κύριε, ἐλέησον (domine, miserere) exclamabit, hac ipsa obsidione liberabimini* (AA. SS. l. c. cap. 172. 173). Archiepiscopus multa dehinc enixeque Deum O. M. precatus, civium fiduciam refocillavit (AA. SS. l. c. cap. 173 — 175).

Coepta obsidione, quum saxis undequaque muri quaterentur, civium unus, lapidum iactor, lapillum, cui S. Demetrii nomen inscripserat, clamans: *in nomine Dei et S. Demetrii*, in hostes coniecit. Ibi (mirum dictu) lapillus iste consecratus alium hostilem lapidem, triplo maiorem, obvium sibi factum, ad locum, unde emissus erat, retudit; barbaros vero, qui ibi erant, cum artifice, tormenti rectore, uterque lapis occidit (AA. SS. l. c. cap. 175). Post tale miraculum, cum media iam dies esset, subito terrae motus factus est, ut omnis simul civitas clamaret: *Domine, miserere.* Hostes, cum omnem murum collabi vidissent, propius accedunt. En alia miracula. Murus, ut antea, stare visus; sagittarum vero barbaricarum quaedam (multis civium videntibus) alatâ sui parte moenibus affixae, ferratâ hostibus obversae. Terrae mo-

*) Vindemia illarum regionum in Septembrem incidit, coll. historia belli secundi pag. 44. Augusto mensi sacra Byzantinae aulae vindemialia tribuit Graecorum rituale p. 694. ed. Goar. Messis Junio fere assignanda.

tus praesens numen non tecte piis hominibus significabat, quam Joannis quoque archiepiscopi interpretationem fuisse video. Auctus his signis civium animus; barbari non leviter consternati (AA. SS. l. c. cap. 175. 176).

Atque haec maxima summi Numinis beneficia Thessalonicensibus visa. Maior, quantum ego intelligo, sequens fatorum opportunitas, sive magistratuum Thessalonicensium prudentia. Per totum enim obsidionis decursum (ea dies triginta implevit) quotidie absque intermissione quam plurimae naves frumentariae, ad urbem delatae *), portum omnem et proximas sinus Thermaici partes implebant. Praeter frumentum ea navigia copias navales, bellicarum machinarum peritas, item tormenta advehebant, incertum, unde profecta. Certe non ex urbe regia Constantinopoli **). Barbarorum enim adventum (*ἐπέλευσιν*) Byzantinorum ea tempestate imperator ignorabat. A quo missus praefectus (*ὕπαρχος*), nomine Charias, Cornelio Byeo mihique aliunde non cognitus, obsidionem non ante audivit, quam in ipso urbis conspectu. Is igitur, in portum delatus, cum civitatem intrasset, precesque S. Demetrio in huius templo obtulisset, cum armatis moenia conscendit (AA. SS. l. c. cap. 177. 178).

In ea obsidione (singuli eius dies, ut antea, non memorantur) tormentis hostilibus eventum non respondisse video (AA. SS. l. c. cap. 179). Tandem barbari, vim suam invalidam experti, ut cum donis saltem dimitterentur, postularunt. Qua petitione haud admissa, more suo cives urbis custodiam curamque agebant. His exacerbatus Avarorum princeps templa extra urbem posita cum suburbiis combussit, addita comminatione, se non abiturum, sed alias plurimasque gentes in auxilium vocaturum. His moti Thessalonicenses, cum triginta obsidionis dies praeteriissent, quaedam, quibus pax fieret, obtulere. Ea barbaris placent; exercitus eorum in loca sibi designata abscedit. Facta pace captivos parvo pretio reddunt, divulgantes salutem civitati divinitus condonatam, murorum in terrae motu prodigium, armorum suorum vim oblata visione invalidam. Ultimas laudes monachis Thessalonicensibus deberi, Sanctum suum praedicantibus, ego nullus quidem dubito. Sed vides initia quaedam et semina fidei Christianae, iam tum in animos gentilium Sclavinorum coniecta; quae ut crescerent, clericorum Graecorum piam solertemque industriam ut postea curasse existimo.

---

*) Acta l. c. cap. 177. *ἐξ ἀοράτων (e locis invisibilibus)* addunt. I. e. (secundum sanam interpretationem) *ex improviso atque inopinato*, sc. multitudine hoc non praesciente.

**) Italos praesertim Siculosque mercatores fuisse puto, qui tueri faciendi causa civitatem bello exagitatam peropportune adibant. Alia tamen ipsorum hostium interpretatio fuit. Hi enim navas, a civibus noctu emissas, interdiu rediisse dicebant. Ceterum naucleri earum, sic volentibus Actis, divinum miraculum praedicantes, ab incognito ipsis cancellario (*καγκελλαρίου*) ad iter incitatos se profitebantur; eumque S. Demetrium esse, quoniam secunda ipsis navigatio obtigisset (AA. SS. l. c. cap. 177).

De quarto Sclavinorum bello Thessalonicensi varia, quae restant, observanda videntur. Constans II., Byzantinorum imperator a. 642 — 668., bellum quidem cum Sclavinis imperii sui anno XVI gessit (Cedren. bist. p. 435. ed. Paris., coll. Theoph. chronogr. p. 288. ed. Paris.), pluribusque captis Sclaviniam provinciam sibi subiecit (Theoph. l. c.); quod bellum in annum Christi 658 vel 659 cadit, coll. scriptoribus modo citt. Verum illam Sclaviniam Byzantio propiorem fuisse puto, quam eam, de qua noster Anonymus agit. Ipse enim (sic mihi videtur) in bellum processerat imperator. Deinde nulla urbs illustrior memoratur, ubi bellatum fuit. Sequitur Constantinus IV Pogonatus (a. 668 — 685). Huius anno decimo, s. anno Christi 678 — 679., Bulgari Thraciam invaserunt. Cumque adversus eos imperator duxisset, Graeci victi sunt, multique desiderati. Pacem itaque imperator cum iis fecit, omnia cupiens pacata habere: eius vero stoliditate res Christiana dedecus accepit. Haec Cedrenus hist. p. 438. ed. Paris. Adde Nicephorum Cpolitanum hist. p. 24. ed. Paris. Et habent ea cum Actorum nostrorum narratione quandam similitudinem, quam ita equidem concedo, ut bellum Sclavinorum quartum huius quidem imperatoris aevo assignandum esse statuam, sed diversum putem ab eo bello, quod Cedrenus l. c. memoravit. Sed utrique bello, Bulgarico Sclavicoque, eundem fere annum assignari velim. Thessalonicae enim, ab hostibus vexatae, imperator non aliud subsidium mittit, nisi Chariam praefectum; de exercitu obsessis misso tacent Acta S. Demetrii. Eo scilicet imperator, ipse cum Bulgaris conflictans, carere non potuit. Sed Bulgari in Slavico quoque exercitu secundum AA. SS. (pag. 55) memorantur. His certiora atque accuratiora doctiores e mentione Naisi Sardicaeque urbium, item Chariae praefecti, extricabunt; eos monuisse satis putavimus. Bellum vero Thessalonicense Byzantinis non prorsus inopinatum accidisse, Actorum nostrorum narratio prodit. Praeparatum enim per biennium legimus. Et barbaros sua ipsorum imprudentia, ut tertio bello, manifesto perdidit. Namque urbem maritimam petentes, bello navali abstinebant. Secus hoc bello tertio, ubi Sclavini plurimas naves habebant, licet male illis usi. Postremo in machinarum bellicarum apparatu non praetermittenda tormenta illa *igne candentia* (pag. 56). Quae num ignem Graecum vexerint, cuius primum usum Graeci eiusdem plane imperatoris regno didicere (Theophan. chronogr. p. 295. ed. Paris. Zonar. annal. 14, 20), doctiores investigabunt, inventisque ad chronologiam huius belli utentur; quamquam artem illam secretam aliis iam tum praeter Graecos proditam fuisse, non verisimile esse puto.

Bella Sclavinorum Thessalonicensia quartum et quintum gravis terrae motus ecclesiaeque Demetriacae incendium intercedit. Prior calamitas altero mense post Joannis II. archiepiscopi, supra memorati, obitum evenit. Qui vir sanctus quum ultimis seculi septimi decenniis vita excessisse videatur, utraque vero calamitas medio inter bellum quartum quintumque loco ab Anonymo collocetur (AA. SS. l. c. cap. 182 sqq.), nec

ego alium illi ordinem tribuerim. Ille vero terrae motus dies plures duravit, adeoque fuit gravis, ut incolae, relicta civitate, in aperta fugerent. Prodigiosa tamen ni hoc quoque terrore S. Demetrii cura eluxit. Eum enim, terrae motu saeviente, complures videbant civitatem suam obequitantem, unaque cum aliis Sanctis custodiam illius agentem. Aedificia magno numero collapsa; incolae incolumes reversi. Thessalonicae vero gravius periculum iisdem diebus imminebat. Sclavini enim, qui tum haud procul ab urbe sedebant, ex eminentioribus locis aedes collabentes conspicati, incolasque ruinis tectos rati, inermes accessere, ut urbem occuparent. Invenere tamen muros, ut multi eorum postea testati sunt, in pristino loco stantes, quod prodigium etiam bello quarto acciderat; eorum vero oculis ignotorum praesidiariorum multitudo obversata, licet interim nulli fere in urbe cives essent. Horum miraculorum memoria quotannis in S. Demetrii templo repetita est. AA. SS. l. c. cap. 182. 183. Adde Excerpta Corn. Byei pag. 173.

Brevi post Sancti templum penitus incendio absumtum est, etiamsi neque homines, neque instrumenta ad malum arcendum deessent. Ibi quum plurimi de publico infortunio dolerent, nec viro cuidam illustri fidem adhiberent, qui e revelatione sibi oblata se didicisse asserebat, templum priore non inferius aedificatum iri; S. Demetrius Deum rogavit, ut Spiritum, qui quondam Beseleelem in tabernaculo veteris testamenti struendo illuminavit, animis civium suorum immitteret, quo rursus aedem sacram suis opibus artibusque erigerent. Fuitque dehinc Sancti templum pristino honori restitutum.

Bellum Sclavinorum Thessalonicense quintum. Hoc esse imperio Constantini IV Pogonati (668 — 685) assignandum, dein Justiniani II. Rhinotmeti (a. 685 — 595. 705 — 711), sequens narratio monstrabit. Tres vero obsidiones per diuturni belli decursum urbs nostra passa est.

Prima obsidio. Sclavini, Thessalonicae contermini, pacem ea tempestate non infideliter servabant. Verum praefectus civitatis nostrae, incertum quibus motus causis quove iure *), ad aures imperatoris Graeci denuntiationes detulit adversus Runchinorum regem, nomine Perbundum, veluti qui affectu animoque fraudulento mala adversus Thessalonicam meditaretur (AA. SS. l. c. cap. 185.). Cui delationi fidem habens imperator (nomen eius Acta Sancti more suo omittunt), praefecto mandavit, ut regem illum (ῥῆγα), quoquo modo sibi videretur, vinctum ferro

*) AA. SS. l. c. cap. 185. p. 173: *Ποίῳ τρόπῳ ἢ τίνος χάριν: quonam modo, an cuius gratia?* Haec verba, ni pro parenthesi habeas, corruptam lectionem prae se ferunt. Non tecte tamen Anonymus noster, qui huic bello coaevum se fuisse prodit (AA. SS. l. c.), mentem suam iudiciumque de praefecti Thessalonicensis denuntiatione reguli Slavici aperit. Eam sc. pro falsa iniustaque habuit.

ad aulam imperialem mitteret; cui iussui obsequium non defuit. Perbundus, iis diebus Thessalonicae versans, corripitur, ferroque vinctus Constantinopolin transmittitur (AA. SS. l. c. cap. 186. p. 174).

Ea re audita binae nationes Slavicae, sc. Runchini, quorum rex Perbundus fuerat, et Strymonii, per nuntios ab imperatore cum Sarazenis tum temporis bellante postularunt, ne eum interficeret, sed sibi remitteret. Responsum, finito bello Sarazenico remissum iri Perbundum; quod iram eorum ad tempus sedavit. Perbundus vero, iuvante Caesareorum interpretum uno, fuga elapsus, ad alios Sclavinos (Byzantio puto propiores) se contulit. Quod ad suam gentem non pervenit, S. Demetrii beneficio Anonymus noster tribuit. Quodsi enim ad suos venisset, a bello atroci adversus imperium Graecorum vix abstinuisset. Ceterum Perbundus e fuga retractus, iussu imperatoris interfectus est. Veruntamen ne sic quidem Thessalonicensibus a bello quietis esse licuit. A necis enim Perbundo illatae tempore variae gentes Slavicae, inprimis Strymonii, Runchini, Sagudatae, bello urbem lacessebant. Ac primum quidem vicina omnia loca, incolis in captivitatem abductis, biennio integro depraedati quotidie sunt. Eo tempore Thessalonicenses obsidione diuturna pressi quum nec terra nec mari quidpiam annonae sibi comparare possent, fames tam valida civitatem invasit, ut multis licet propter illam fuga dilapsis, reliqui, qui ibi supererant, carnem equinam atque asininam, mox alimenta multo magis ingrata edere cogerentur. Imperator interim, cum exercitum, quod alio bello (Sarazenico puto) detineretur, mittere non posset, navigia bellica (καράβους) minora decem, varii generis cibariis onusta, Thessalonicensibus in auxilium submittit. Qua ope paululum sublevati, quanquam illorum navigiorum milites brevi famem augerent, aliam salutis viam ingressi sunt. Namque decem illa imperatoris navigia, item alia quaedam, quae sibi supererant, minora etiam, ad gentem Thessaliae barbaram Belegezitarum mittunt, qui Thebas ac Demetriadem, ad sinum Pagaseticum sitas frumentoque uberes, incolebant, coll. iis, quae supra de hac gente observavimus (pag. 54 sq.) *). Ea natio, licet Slavica, pacem tum temporis cum Thessalonica

*) De Thebis Phthioticis Thessaliae v. inprimis Polyb. 18, 30, 7., coll. Liv. 33, 34. Ea urbs ante Demetriadem a Demetrio Poliorcete conditam litoris Thessaliei primarium emporium fuisse videtur, unde frumentum istarum regionum per sinum Pagaseticum (Volo) asportabatur. V. Liv. 39, 23., coll. Strab. geogr. lib. 9, 5. Adde Mannerti Geogr. der Griech. u. Röm. T. VII. Landishuti 1812. p. 601 sq. Demetrias eidem sinui Pagasetico apposita fuit, maximasque mercaturas exercuit, coll. Mannert. l. c. p. 590. Memorabilis vero Actorum nostrorum locus eam ob causam, quod utraque urbs vel post occupationem Slavicam seculo post Chr. septimo rei frumenteriae veterem honorem retinuit. Demetrias vero brevi ante captam a Sarazenis (a. 904) Thessalonicam a barbaris quibusdam expugnata est, testante Cameniata c.

agebat. Cum vero classis e portu Thessalonicensi solvisset (erat praeterea robustioribus civitatis viris omnique flore iuventutis instructa), Drugubitarum principes id edocti, civitatem nostram, quam hactenus fere tenuerant inclusam, totis viribus aggredi decernunt. Eum in finem paratis bellicis instrumentis, obsidionem magna vi renovant; et Drugubitae quidem cum Sagudatis terrâ, Runchini vero, qui illis accesserant, mari per navigia moverunt. Ne Strymonii quoque Sclavini reliquis iungerentur (debebant sane, inito cum illis pacto), cautum beneficio divino. Quibusdam enim prodigiis a belli societate deterriti sunt. De his omnibus vide Cornelii Byei Excerpta ex AA. SS. l. c. pag. 176. not. g.

Barbari cum ad muros appulissent, civium magna consternatio secuta est, quam tamen S. Demetrii prodigiosa visio admodum minuit. Hostes enim post factam murorum speculationem cum aliquantisper quiescerent, Sanctus in ea urbis parte, quae unicum murum habebat *), ubi parva portella erat, non in somnio, sed per veritatem apparuit, cursim pedibus incedens, chlamyde indutus, virgamque manu ferens, qua Sclavinos quosdam ibi irrumpentes ex illa portella exigeret, addito: *male hos Deus adduxit: deinde ego quid hic agam?* Huius visionis prodigium animos civium auxit (AA. SS. l. c. cap. 187. 188). Secutum aliud prodigium, quod secundo (sic videtur) oppugnationis die, ut prima visio, accidisse puto. Viderunt quidam Martyrem extra moenia currentem, et scutiferos quosdam peregrinos robustos, adspectu fulgido, adducentem, ut quibusdam etiam murorum locis adsisterent, excubiasque agerent (AA. SS. l. c. cap. 188). Interdiu hoc factum sit, an alia diei parte, Acta more suo tacent. Ego de diluculo crepusculove cogito, tempore visionibus perquam opportuno. Ceterum utriusque ostenti fama, late mox serpens, animos Thessalonicensibus utcumque reddidit; noctem tamen duxere

14. Quinam ii barbari fuerint, nec invenio. Puto transmarini, fortasse iidem Saraceni, qui Thessalonicam deinde ceperunt. Princeps Thessaliae urbs Cameniatae aevo (sec. 9. 10.) mihi Demetrias fuisse videtur. Sequentibus seculis memoria eius aliquoties recurrit, coll. Strittero Servicorum cap. 92 (Memor. T. II. p. 213); Bulgaricorum cap. 289 (Mem. l. c. p. 731). Ea cum aliis praetermisit Mannertus l. c. pag. 590 sq. Iisdem vero Sclavinis Thessalicis ea tribuo, quae Acta Sancti nostri paulo inferius (cap. 208 — 215. p. 187 sqq.) de Cypriano quodam episcopo, a Sclavinis capto, narrant. Is sc., ex Africa Constantinopolin navigans, *apud Graeciae quasdam partes* (*περί που τοὺς τῆς Ἑλλάδος τόπους*) a Sclavinis interceptus est. Hi Sclavini Cornelio Byeo l. c. p. 189. Dalmatae fuisse videntur. Male, si quid intelligo. E Dalmatia enim Thessalonicam itinere pedestri petentibus octo dierum iter non sufficit, licet non aegris maleque affectis. Noster autem praesul in captivitate sua pessime habitus fuerat. Tali homini octo dies necessariae fere videntur, ut e Thessalia profugus pedesque per barbarorum regiones Thessalonicam veniat.

*) AA. SS. l. c. cap. 187. pag. 174. addunt: *πρὸς τῇ λεγομένῃ ἄρκτῳ*: *ad ursam sic dictam.* Num pars urbis borealis spectatur? An erat ibi signum ursae quoddam?

insomnes. Die tertia illucescente Sclavini terra marique omni armorum genere civitatem adorti, in portellam supra memoratam, qua viam sibi in civitatem aperirent, ignem coniecerunt (Excerpta Cornelii Byei pag. 177. not. i.). Portellae interior materia lignea comburitur; ferrearum compagum commissura non tantum non laxata fuit, verum etiam in unum prodigiose conflari, seu alium prorsus in statum concrescere visa. Sic portella, utut combusta, incolumis permansit, ita ut barbari perculsi ab eiusmodi loco recederent, caedesque haud paucae et vulnera in eos modo invisibili (ἀοράτως) ingruerent, non tantum eodem loco, verum etiam per omnem terrae plagam atque in mari. Postquam per triduum portas eaque loca, quae captu facilia putabant, simili modo fortunaque impugnassent, cum planctu et eiulatu abierunt, secum auferentes milites saucios principumque suorum corpora, quos S. Demetrius occiderat (AA. SS. l. c. cap. 189., coll. Corn. Byei excerptis pag. 177). *) Is belli eventus dissidii initium fuit Sclavinorum gentibus consociatis. Namque in Thessalonicensi civitate neminem, nisi senes quosdam paucasque mulierculas, superesse rati (promissum hoc illis fuerat), magnam populi multitudinem invenerant. Sanctorum id fuisse militare auxilium, civitati per certaminum victorem Demetrium allatum, manifestum omnibus fuit (AA. SS. l. c. cap. 189. 190). Attuli haec de industria, velut similia in antecedentibus, addamque dehinc alia, ut semina quaedam fidei Christianae in animis gentilium illorum iam tum pullulantis. Sedulitatem Graecorum sacerdotum, in ea re praestitam, ex omni narrationis tenore divinare possum, non monstrare.

Paucis post solutam oppugnationem diebus illi, qui annonae causa in Thessaliam missi fuerant, opitulante suis S. Demetrio, cum frumenti copia haud parva reversi sunt, cum iam apud Belegezitas didicissent, Thessalonicae obsidionem deserere compulsos fuisse Sclavinos (Excerpta Corn. Byei ex AA. SS. l. c. pag. 177).

*) Horum regulorum Slavicorum caedem cum ope Demetrii aliis temporibus praestita memorat quoque (ex Actis nostris puto) Demetrius Cydonius in sua monodia, qua tumultum Thessalonicensem a. 1346 narrat, cap. 3. (Scriptores post Theophanem ed. Paris. p. 386): *Πολιορκιῶν τε λύσεις, καὶ λιμῶν βοηθείας, καὶ νοσημάτων δὴ θεραπείας ἐπιδημούντων· σφαγάς τε βασιλέων, αὐτοῖς στρατεύμασιν ἐπιόντων· καὶ χρησμοὺς εἰς τὸ μέλλον, μόνην ἀνάλωτον ἐν τῇ κοινῇ περισωθήσεσθαι συμφορᾷ.* I. e. *solutas obsidiones, famis auxilia morborumque depulsiones* (in urbe) *grassantium; neces regum, cum ipsis suis exercitibus adorientium; edita in futurum oracula, unam fore, quae in communi clade incolumis servetur.* Reges memorati iidem sunt cum principibus huius Actorum loci, non excluso eo Sclavinorum regulo, quem belli tertii occasione captum lapidibusque in urbe necatum legimus (p. 53); num etiam Perbundi caedes Cpolitana significetur (p. 59 sq.), mihi incertum. Oracula erunt maxime Demetriaca, ut illud, quod supra legimus pag. 56; antiquiora tamen ego non excluserim, vel alius generis oracula, quae e. g. dicuntur *sortes sanctorum*, quae sc. e Sacra Scriptura petebantur, coll. I. F. *Cotta*: De sortibus Sanctorum. Tubingae 1758. p. 33 sqq.

Ad secundam huius belli obsidionem Thessalonicensem transiri commode vix poterit, quin Sclavini Runchini qui fuerint iam nunc scrutemur. Cum Sclavinis Strymoniis supra iunctos vides huius dissertationis pag. 55. Eosdem denuo iungunt AA. SS. l. c. cap. 190 (p. 174). Unde mihi verisimile, ut supra dixi p. 55., utrosque conterminos fuisse, quod etiam Cornelio Byeo visum l. c. pag. 176. 178. Ubi sederint, diligentius iam nunc videndum. Rusio, Thraciae urbi, vicinos Byeus putat l. c. p. 176. Eos tamen inter Strymonios, a quibus Amphipolitanam maxime regionem obsessam puto, nostramque Thessalonicam egisse, nomen eorum probabile facit, quod in voce urbis Macedonicae *Rondino* deprehendo, quam Strymonio mari fere appositam tabulae geographicae recentiorum perhibent, quod est inter ostia lacus Bolbes fluviique Strymonis. Et maritimos fuisse, antecedentis obsidionis narratio docet, in media magis terra Drugubitis et Sagudatis habitantibus. Quodsi propiores etiam Thessalonicae hi Runchini fuere, tum navigia sua monoxyla in fluvio Echedoro (Gallico) habebant, unde in sinum Thermaicum, utpote civitati nostrae maxime contermini, devehebantur; sin Strymonii sinus litora tenebant, praeternaviganda illis Chalcidices promontoria, ut sinum Thermaicum a meridie intrarent. De Strymoniis vero Sclavinis in fine huius belli quaedam annectentur.

Secunda obsidio. Ea primam brevi intervallo secuta est, non cessantibus quotidianis fere incursionibus in loca urbi finitima. Ita captivi permulti a Sclavinis abducti, atque alia damna Thessalonicensibus illata. Factum quoque, ut, cum de occupanda civitate continuo cogitarent, aliique alia tormenta obsidionalia effingerent, quispiam ex iis, ~~huiusmodi instrumentorum faciendorum peritior~~, miri artificii turrim ligneam, qua Thessalonicam certo expugnandam asserebat, excogitaret. Approbatur delineatio principibus Sclavinorum; multis ministris adiutus, manus suas artifex operi suo admovet. Tum vero S. Demetrius spectandum ei se praebet, alapaque in facie percussum mentis impotem reddit; quo facto homo iste ex aliorum conspectu in deserta montium aufugit. Machinae fabrica non perficitur, nihilominus Sclavini urbis obsidionem aggrediuntur. Artifex, hactenus in montibus commoratus, nuntiata per suos civitatis oppugnatione, mentem sanam recuperat; Sanctus, illi denuo visus, hortatur, ut relicta solitudine urbem ingrediatur. Quod cum fecisset, effigiem S. Demetrii conspicatus, ab eo ipso percussum se testatur atque impeditum, quominus delineatam a se turrim exstrueret. Ablutus dehinc sacri baptismi undis; quod ego primum Sclavini Macedonici exemplar novi, quem, mediante licet alapae Demetriacae monitorio, fidem nostram amplexum constat. Omnium tamen gentilium illorum ad sacra Christiana conversionem eodem tempore evenisse non puto, immo diu post; tum scilicet, quum regno Graecorum penitus parere coepissent. Quod inchoatum quidem Justiniani II Rhinotmeti imperatoris victoria Slavica, circa annum Chr. 688 reportata, quam deinceps enarrabimus; eorum vero erga imperatores Graecos obse-

quium quomodo firmatum sit, quod secutam demum conversionem eorum ad sacra nostra existimo, Acta Sancti nostri, quod maximopere dolendum, non tradunt. Illud tamen seculo octavo evenisse, vix male quis e Cameniatae loco inferius proferendo coniiciet, qui Graecus conversionem Sclavinorum Macedonicorum, Graecis parentium, satis diu (sic mihi videtur) ante expugnationem Thessalonicae Sarazenicam (a. 904) evenisse statuit. Ceterum hostilis oppugnatio tum ob irritam turris fabricam, tum prodigiorum Demetriacorum beneficio improspere barbaris cessit: singula belli tacentur. Exc. Corn. Byei ex AA. SS. l. c. pag. 177. not. m.

Tertia obsidio. Secunda expeditione Thessalonicensi finita, reliqui (sic videtur) Sclavini quietem aliquamdiu agebant, belli adversus Graecos communione abstinentes. Otii vero impatientes Strymonii et Runchini, nautas plurimos, qui devehendis Constantinopolin fructibus vacabant, item eos, qui insulas atque Hellespontum habitabant, exspoliantes, ipsam Propontidem ingressi sunt. Ubi vastata Parii et Proconnesi regione, usque ad portorium urbis regiae navigant; denique praeda onusti multisque navigiis aucti, casas suas Macedonicas repetunt *).

Ea barbarorum ferocia motus Graecorum imperator, quum non solum Thessalonicam, verum etiam urbem regiam in periculo versari videret, exercitum suum per Thraciam locaque vicina (*καὶ τῶν ἀντίων?*) adversus eos movere iussit, qui ad Strymonem sedes suas habebant, bello illis ante denuntiato. Ii re cognita, angustias (*κλεισούρας*) locaque firmiora occupant, ut Romanis exercitibus resistant; barbarorum vero regum (*ῥηγῶν*) auxiliaribus ad se convocatis, bellum sedulo parant (AA. SS. l. c. cap. 191). Verum S. Demetrius, reliquis cum Sanctis arma opemque subministrans, Romanum exercitum contra Sclavinos victorem effecit, perque insidias, quas ipsimet struxerant, fortiores eorum occidit, omnisque gens barbara fugam capessivit. Eorum quosdam, ad Thessalonicam profugos, clanculum Sanctus monuit, ut in pagos suos urbi vicinos abirent, vasaque sua fugae causa colligerent (AA. SS. l. c. cap. 192). Sclavinorum perturbationem idem Actorum locus tam obscure exponit, aut textum magna corruptela tenet, ut non satis perspiciatur, Sclavini circa Thessa-

*) AA. SS. l. c. cap. 190 (pag. 174): *Τῶν γὰρ ἁπάντων Στρυμόνος καὶ Ῥυγχίνου, λοιπῶν (?) ἐκ τῶν ἔνθεν μερικῶς καταπαυσάντων (?) καὶ διαζεύκτων (?) ὅπλων, τοὺς θαλαττίους πλωτῆρας τοὺς ἐπὶ παρακομιδῇ καρπῶν ἐν τῇ βασιλευούσῃ ἀπιόντας πόλει παμπόλλους ἐκπορθήσαντες, ἀπό τε τῶν νήσων καὶ τῆς στενῆς θαλάσσης, καὶ τῶν (τοὺς) ἐπὶ τὸ Πάριον καὶ Προκόννησον τόπους, καὶ αὐτοὺς τοὺς εἰς τὸ τελωνεῖον ἅμα τῶν πλοΐμων (πλωΐμων, s. πλοίων,* immo *τοῖς πλοίοις) αἰχμαλωτίσαντες, μετὰ πλείστων νηῶν οἴκοι ἐπὶ Θυλάκους ἀπίασιν.* Locus valde corruptus, et peius etiam a Cornelio Byeo intellectus. Codex Mazarinaeus denuo inspectus haec atque alia Actorum nostrorum vulnera paene innumera sanabit; quam medelam Benedictum Hasium, ut quondam promisit, praestiturum, me nemo ardentius sperat.

lonicam habitantes num sedibus relictis regiones remotiores fuga petierint, an urbem ipsam cum utensilibus suis, victoris clementiae confidentes, intraverint. Illud ob sequentia maiorem veri speciem habet.

Navigia quoque, frumento onusta, petentibus Thessalonicensibus ab imperatore Graeco missa. Advehebant frumenti mensuras sexagies mille, praefecto per malitiam multo minorem annonae copiam petente, quinquies mille mensuras, ne scilicet eorum iram incurreret, qui annonae Macedonicae vendendae atque exportandae operam dabant. Hac alimentorum copia advecta (venere quoque navigia minora bellica, frumentum comitantia), barbari extrema passi de pace tandem locuti sunt (AA. SS. l. c. cap. 193). Ultima, Thessalonicam a Sclavinis ea tempestate obsessam fuisse, mihi quidem non obscure significant. Obsidio tamen ut solveretur, imperatoris victoria, de Sclavinis Strymoniis Runchinisque (incertum, ubi locorum) reportata, plurimum contulisse videtur.

Hanc Actorum Sancti narrationem eandem prorsus cum ea esse persuasum habeo, quam Nicephoro Constantinopolitano debemus, qui in sua historia (p. 24. ed. Paris., p. 19. ed. Ven.) ad annum circa 688. notat, Justinianum II Rhinotmetum brevi post coeptum (a. 685) imperium, pace Bulgarica soluta, missis ad Thraciae loca equitibus, contra Sclavinos profectum. Imperator, eodem referente, Thessalonicam usque progrediens, quamplurimis illic Sclavinorum gentibus partim bello, partim deditione in potestatem redactis, easdem in Opsiciana, quam vocant, Asiae minoris regione, per Abydum translatas, collocavit. Inter eos, quos transfretavit, erant triginta millia armatorum. Cum his concinunt Theophanes (chronogr. p. 303. 304. ed. Paris.), Cedrenus (histor. p. 441 ed. Paris.), Zonaras (annal. lib. 14, 22. T. 2. p. 92 ed. Paris.).

Partem tamen Sclavinorum in Macedonia relictam, testatur Constantinus Porphyrogenitus de thematibus 2, 3: *Τρίτον θέμα, Στρυμόνος. Τὸ δὲ θέμα τοῦ Στρυμόνος τῇ Μακεδονίᾳ συντέτακται, καὶ οὐδαμοῦ τούτου λόγος ἐστὶ περὶ θέματος, ἀλλ' εἰς κλεισούρας τάξιν λελόγισται. Καὶ Σκύθαι αὐτὸ ἀντὶ Μακεδόνων διανέμονται, Ἰουστιανοῦ τοῦ Ῥινοτμήτου ἐν τοῖς ὄρεσι τοῦ Στρυμόνος καὶ ταῖς διαβάθραις τῶν κλεισουρῶν τούτους ἐγκατοικίσαντος.* I. e. *Tertiam thema, Strymonis. Thema Strymonis Macedoniae coniunctum est, neque ullibi eius mentio habetur nomine thematis, sed in clausurae ordine reputatum est. Scythaeque ipsum loco Macedonum habitant, postquam Justinianus Rhinotmetus eos in montibus Strymonis atque in traiectu clausurarum collocavit.* Quinam hi Scythae sint, ex Actorum locis supra allatis cognoscitur. Sunt Sclavini nostri, maxime Strymonii et Runchini, coll. quoque Cameniatae locis supra citatis pag. 54. Quo eos imperator removerit, minus iam apertum est. Quum vero mari propiores fuerint (exercebant navigationem maritimam), ego ex Amphipolitana regione, ubi viam inter Thessalonicam atque Constan-

tinopolin haud parum impedire poterant, ad superiora Strymoniae terrae loca reiectos eos existimo, ibidemque locorum etiam clausuras Constantini Porphyrogeniti a doctioribus (ego nondum inveni) fortassis deprehensum iri spero *). Sed videndum etiam, quosnam vere Sclavinos bello Justinianus domuerit; quosnam in deditionem acceperit. Priores erunt Hebro inferiori propiores; posteriores Thessalonicae ac Berroeae contermini. Neque enim ex Actis S. Demetrii cognoscere licet, Justinianum prope ipsam Thessalonicam Sclavinos bello vicisse. Factum hoc, ni egregie fallor, inter Hebrum et Strymonem fluvios, ubi Normannos quoque diu post (a. 1185) caesos fuisse, alio loco monstrabimus. Denique videndum, cui tempori tribuenda sit narratio ex Actis supra pag. 60 petita de imperatore Graeco cum Sarazenis bellante. Primo quidem Justiniani II Rhinotmeti anno Arabes regnum Graecorum damnis affecisse dicuntur, coll. Theophan. chronogr. p. 303. ed. Paris. Cedren. hist. p. 441. ed. Paris. Zonar. annal. 14, 22. Sed Acta S. Demetrii longius procul dubio tempus inter Perbundi necem (pag. 60) Justinianique Rhinotmeti expeditionem Sclavicam statuunt, quam duorum triumve annorum. Quare ad Constantini IV Pogonati imperium ascendendum, a cuius anno quinto (imperavit autem a. 668 — 685) per septennium Sarazenos Constantinopolin oppugnasse constat (Theophan. chronogr. p. 294. ed. Paris. Cedren. hist. p. 437. ed. Paris. Zonar. annal. lib. 14, 20.).

Bellum Sclavinorum Thessalonicense sextum. Inscripta quidem haec Actorum S. Demetrii sectio (cap. 194 — 207) his verbis: *Περὶ τοῦ μελετηθέντος κρυπτῶς ἐμφυλίου πολέμου κατὰ τῆς πόλεως παρὰ τοῦ Μαύρου καὶ Κοῦβερ τῶν Βουλγάρων.* I. e. *De bello intestino, quod contra civitatem Maurus et Cuber Bulgari occulte fuerant meditati.* Unde Bulgarorum quoddam bellum Thessalonicense, qui Actorum narrationem minus diligenter inspexerit, facile eliciet. Fuit tamen, excepto duce utroque, bellum Bulgaro-Slavicum, vel omnino Slavicum, quod sequens nostra expositio clarius, quam ipsa clerici Graeci oratio, monstrabit **).

*) De clausuris (κλεισούραις) v. omnino Cang. glass. vv. κλεισοῦραι, *clausura*, *clusa*.

**) Anonymus noster bella superiora (tertium et quartum) his verbis respicit (AA. SS. l. c. cap. 195. pag. 179): *Ὡς ἴστε, φιλόχριστοι, ἐν ταῖς προτέραις τὴν τῶν Σκλαβίνων, ἤγουν τοῦ λεχθέντος Χατζῶνος, καὶ τῶν Ἀβάρων, ἐν μέρει ἔκθεσιν ἐποιησάμεθα, καὶ ὅτι περ τὸ Ἰλλυρικὸν σχεδὸν ἅπαν, ἤγουν τὰς αὐτοῦ ἐπαρχίας, λέγω δὴ Παννονίας δύο, Δακίας ὡσαύτως δύο, Δαρδανίαν, Μυσίαν, Πρέβαλιν, Ῥοδόπην, καὶ πάσας ἐπαρχίας, ἔτι μὴν καὶ Θράκην, καὶ τὰ πρὸς τὸ Βυζάντιον μακρὸν τεῖχος, καὶ λοιπὰς πόλεις τε καὶ πολιτείας ἐκπορθήσαντες, ἅπαντα τὸν αὐτὸν λαὸν εἰς τὸ ἐκεῖθεν πρὸς Παννονίαν μέρος, τὰ πρὸς τῷ Δανουβίῳ ποταμῷ [ἀπήγαγον], ἥτινος ἐπαρχίας πάλαι μητρόπολις ὑπῆρχε τὸ λεχθὲν Σιρμεῖον (Σίρμιον). Ἐκεῖσε οὖν, ὡς εἴρηται, τὸν ἅπαντα λαὸν τῆς αἰχμαλωσίας κατέστησεν ὁ λεχθεὶς χαγάνος, ὡς αὐτῷ λοιπὸν ὑποκειμένους.* Locus, a nobis tacite non semel tantum emendatus, bellum Slavicum quintum, quod mireris, plane omittit, maximumque momentum quarto tribuere videtur, cui tertium non aliter ac tentaminis instar praecesserat. Sed quintum, ob cladem Sclavinorum eorumque per impera-

Avaricae gentis princeps, omne propemodum Illyricum (Pannonias, Dacias, Dardaniam, Mysiam, Prevalim, Rhodopem), dein proxima muro Byzantii longo, depopulatus, omnem captivorum multitudinem ad regni sui sedem abduxerat, quae veteris Sirmii locum obtinebat. Ea nun unam aliquam Avarorum expeditionem Graecam spectare, sed omnia eorum bella, illis terris funestissima, non est, quod pluribus monstrem. Unicum moneo, haec superioribus (pag. 55. huius dissertationis) ita respondere, ut ibi sermo sit de hominibus illarum terrarum Avaricam cladem elapsis; nostro loco de iis, qui captivitatem declinare non potuerant. Ita uterque Actorum locus eandem plane rem spectat. Ab isto autem tempore cum Bulgaris, Avaris reliquisque gentilibus multitudo captivorum fuit commixta; deinde cum liberos procrearent, atque in peculiarem fere populum excrescerent, filii a patribus indolem Graecam eademque studia et mores adipiscebantur. Ita factum, ut fides orthodoxa (Anonymi nostri verbis ut alibi utor) haud parum inter gentiles illos augeretur, simulque veteris patriae desiderium in animis novae gentis reviviesceret. Cumque ab eo tempore, quo in maiores eorum patrata vastatio fuerat, sexaginta circiter ampliusve anni intercessissent, et quandam libertatem gentisque propriae formam homines illi accepissent, princeps eorum, ab Avarorum chagano illis impositus, *Cuber* nomine, de populi sui desiderio patriae edoctus, omnes illos Graecos aliosque gentiles, cum eorundem supellectile atque armis ad se convocatos, rebellesque factos, e regno chagani Avarorum abducit. Is vero, re cognita, a tergo ipsos insequitur. Proelia committuntur quinque vel sex; Avarus in duobus eorum (ἐπ' ἀμφοτέροις) victus, fugam cum relicto ~~sibi populo capessit, regnique sui interiora petit~~, itinere utens septentrionali. Victor Cuberus, traiecto Danubio (immo Savo, cui vetus Sirmium appositum, vel alio potius fluvio, magis etiam meridionali), Macedoniam cum suis ingreditur, ibique campum Ceramesium, aliunde nobis haud notum *), occupat, iis maxime, qui fidei orthodoxae erant, ad civitates patrias adspirantibus, atque aliis quidem ad Thessalonicensium civitatem, aliis ad fortunatissimam urbium Constantinopolin, aliis ad reliquas Thraciae urbes (AA. SS. l. c. cap. 194 — 197).

Quod ne fieret, neque homines Christiani ad loca sibi desiderata dilaberentur, sed idem Cuberus mixtae omnium multitudinis chaganus et princeps maneret, quo-

torem debellationem omnium longe gravissimum, tacetur, quia bellum erat mere Slavicum, i. e. non ab Avarorum chagano, Slavorum aliorumque domino, motum gestumque. Nostrum vero bellum, sextum inquam, ax ipsa Avarorum sede originem traxerat. Hinc quartum (tertiumque) respicitur, ubi ipse Avarus adfuerat. Ceterum Anonymi nostri vita, qui praeter bella antecedentia sextum quoque narrat, quod a tertio quartoque sexaginta fere annorum spatio distat, seculo octavo assignanda. Alia de eiusdem aevo supra monuimus pag. 53. Denique ex AA. SS. cap. 185. vix recte quis conilciet, belli tertii quartique scriptorem diversum esse a scriptore quinti et sexti.

*) Hunc campum Drugubitarum sedibus conterminum fuisse, sequentia docebunt. Vox ipsa originem magis Sclavicam, quam Graecam, prodare mihi videtur.

rundam astutiâ cautum est. Cuberus enim legatis ad imperatorem Graecorum missis petiit, ut sibi cum suis regionem ab ipsis obsessam tenere liceret; Sclavini autem Sagudatae adiacentes, Graecis subiecti, annonam, quantam possent, subministrare iuberentur. Quod et factum est. Ita plurimi advenarum tentoria Sclavinorum ingressi, cum Thessalonicam haud procul abesse didicissent, ii potissimum, qui Graecam originem ducebant, cum liberis et uxoribus civitatem nostram ingredi coeperunt; quos praefectus statim navibus impositos Constantinopolin misit (AA. SS. l. c. cap. 197).

Ea re audita Cuberus ducum suorum militarium aliquem, nomine Maurum, hominem astutum, linguarum vero Macedonicae, Graecae, Slavicae et Bulgaricae gnarum, impellit, ut se profugum simulet; multis suorum comitibus stipatus, Thessalonicam intret; imperatori Graecorum se subditum fingat; bello dehinc civili excitato, urbem vi occupet; Cuberum cum reliquis principibus intra moenia recipiat; finitimis dehinc populis, insulis, Asiae, ipsi denique imperatori bellum inferat (AA. SS. l. c. cap. 198).

Maurus iuramento obstrictus, fore ut bona fide omnia exsequatur, urbem cum suis ingreditur, beneque acceptus praefectum multa arte inducit, ut optima quaeque de se imperatori polliceatur. Is fide habita scriptis, literas honorarias Thessalonicam mittit, Mauroque insignia consularia vexillumque (*ὠρατίωνα ὑπάτου καὶ βάνδον*) confert, praecipiens, ut Ceramesiani omnes, qui a Cubero profugerant, eidem Mauro pareant. Eo mandato in scriptam matriculam ordinariam relato *), Mauro omnis illa multitudo commissa est, ipseque eorum dux exstitit (AA. SS. l. c. cap. 199).

Eius tamen malitia non diu omnes latuit. Quidam enim Graeci, non ignari, qualis Maurus esset, quaque perfidia loca multa gentesque vexasset, eam rem pluribus manifestant, quidque insidiarum omnibus ab isto homine immineat, libere expromunt. Verum hos Maurus rapite truncavit, atque uxores eorum divendidit. Dein centurionibus, pentecontarchis et decarchis, qui fraudulento ipsius consilio conspirarent constitutis, armatorum custodia, qui publice nutriebantur, corpus suum stipavit. Denique id consilii cepit, ut nocte sabbati sancti, quando resurrectionis Christi convivium omnis sumtura civitas esset, bello intestino concitato, atque igne in loca praecipua coniecto, cum sociis coniurationis urbe potiretur (AA.SS. l. c. cap. 199.200).

Verum iis diebus S. Demetrius, patriae suae amantissimus vigil ac vindex, Sisinnio **) cuidam, caraborum Imperialium tum duri, viro sollerti ac pio, invisibili inspiratione nutuque praeripere haud dedignatus est, ut Thessalonicam ad observandum Maurum cum caraborum suorum militibus navigaret; eo insuper consilio, ut, si praesidium aliquod militare Thessalonicensibus abforet, ii, qui apud Cuberum erant, facilius ad Graecorum partes transfugere possent. Is gloriosissimus dux Sisinnius, quod mandatum erat, ad finem perducturus, e Graeciae regionibus solvit, adque insulam Sciathum (*τὴν Σκιάθιαν νῆσον*) appulit die dominica, sanctum Pascha praecedente, quod ab omnibus civitatibus orthodoxis pie celebratur, dominica vero Palmarum (*κυριακὴ τῶν βαΐων*) vocatur. Ea insula, sinui Thermaico cum aliis quibusdam in

*) AA. SS. l. c. cap. 199.: *Τῆς τοιαύτης κελεύσεως . . . ματρικίῳ ὀρδίνῳ ἐγγράφῳ συσταθείσης.*

**) Vir non confundendus cum Sisinnio patricio, cognomine Rhendaco, qui initio imperii Leonis III Isauri (a. 717 — 741) Artemium, qui a. 713—717 Anastasii nomine imperaverat, e Thessalonica cum Bulgarorum monoxylis profectus, throno Cpolitano frustra reddere conatus est (Niceph. Cpolit. hist. p. 36. 37. ed. Paris., p. 28. 29. ed. Ven.). Namque nostra haec Thessalonicensia finem imperii Leonis III Isauri, s. potius initia imperii Constantini V Copronymi (a. 741 — 775) spectant. Fuit fortasse Anonymi nostri Sisinnius principis Sisinnii filius.

alto mari praetensa, multisque annis non habitata, templorum sanctissimorum unum habebat silva obtectum ac frondosum. Eius partem purgari Sisinnius a suis iussit; quo facto divinum officium ibidem peregerunt. Sequenti die, quae erat sanctae hebdomadis secunda (*ἁγία δευτέρα τῆς ἑβδομάδος τοῦ κυριακοῦ πάθους*), quum aquilones navigationi Thessalonicensi obstarent, idem dux omnes milites convocatos admonuit, ut reliqua templi parte purgata, celebrando ibidem resurrectionis festo *) se accingerent. Dicto obsequentes ad suum quisque officium discedunt: alii templum cum baptisterio expurgant, alii tabernacula conficiunt, alii festo apta praeparant, alii pecoribus piscibusque capiendis vacant. Eorum tamen nemo, qui esset Thessalonicae status, noverat. Peracto eiusdem diei officio sancto, Sisinnius iis, quae ad stationes et vigilias spectabant (*τὰ τῶν βίγλων καὶ σκουλκῶν*), dispositis, exercitum quiescere iussit, atque ipse somnum capessit. Ibi S. Demetrius non in somno, sed per veritatem (*οὐ κατ' ὄναρ, ἀλλὰ καθ' ὕπαρ*), non semel illi adstitit, ad navigandum impellens, ventumque secundum esse annuntians. Is tamen etiamtum adversus erat. Tertia vice S. Demetrius illi visus est, *noli*, dicens, *negligenter agere. Expergiscere, velifica; ventus est secundus. Ecce tu dormis; alii vero velificant.* Expergefactus Sisinnius, neque iam de revelatione divina dubius haerens, naves percurrit, utque Thessalonicae latus peterent, suis praecepit. Ii festo se parantes, ventum adversum esse dicunt. Tum Sisinnius, post tertiam Demetrii visionem de prospero navigationis eventu non anxius, in alium locum eos se abducturum enuntiavit, qui praesidio magis etiam destitutus esset: irent, naves conscenderent, remis incumberent. Ea hora carabum vidit, e Chalcidis partibus **) (sic videbatur) ad ipsos velificantem. Id ipsum Sanctus per quietem illi aperuerat Ceterum ventus initio navigationis adversari non desiit. Derepente vero nutu divino, precibus s. Demetrii intercedentibus, a tergo eis ventus secundus afflavit; unde factum, ut hebdomadis sanctae die quarto, hora septima, Thessalonicam appellerent. Exin torpescere belli intestini, quod Maurus cum suis parabat, conamen impium; ipse vero Maurus subito timore et consternatione correptus, quum prae animi deiectione in febrim gravissimam incidisset, in lectulo per plurimos dies decubuit. Atque exspirasset sane, ni praedictus *Sisinnius*, ignorans, quod meditatus fuerat, verbis eum et iuramentis securum reddidisset. Idem deinde visiones Demetriacas sibi oblatas civibus narrat. Effecit autem, ut Maurus cum suis urbe relicta ad latus eius occidentale concederet, usus in ea re militibus suis carabiariis ***). Ita Ceramesianis supra dictis, i. e. Graecis etiamtum apud Cuberum versantibus, Thessalonicae absque impedimento petendae maior copia facta (AA. SS. l. c. cap. 201 — 205. pag. 182. 183).

Eo Thessalonicae statu literae imperiales in civitatem deferuntur, quibus Sisinnius Ceramesianos suis navigiis caesareisque, quae advenerant, aliorsum deportare iubetur.

---

*) AA. SS. l. c. cap. 202: *Ἀξίους τῆς ἁγίας Χριστοῦ ἀναματάσεως.* Lego *ἀναμαρίσεως* (*ad sanctum Jesu Christi amplexum, occursum*, coll. Cang. gloss. v. *ἀναμαρίζω*), vel *ἀναμαστεύσεως* (*ad requisitionem*), coll. sanctis mulieribus, quae Servatorem resurrectionis mane quaesiverant. Utut locum male sanum emendas: Sisinnius ventis adversis ita se impeditum iri putabat, ut resurrectionis quoque festum ibidem se cum suis celebraturum exspectaret.

**) AA. SS. l. c. cap. 04: *Ὡς ἀπὸ τῶν μερῶν Χαλκίδος.* Anonymus ni Chalcidem Euboeae, s. ipsam Euboeam, spectavit (quo posito carabus Sciatho insulae a tergo fuit), ego pro *Χαλκίδος* malim *Χαλκιδικῆς* (*Chalcidices*), cuius in conspectu fere Sciathus insula sita est. Tum carabus nostris a latere dextro apparuit. Et hoc praestat.

***) AA. SS. l. c. cap. 205: *Καὶ τοῦ αὐτοῦ στρατοῦ τοῦ ἐκ τῶν καράβων κ. τ. λ.* Locus male sanus, quod monuisse satius duximus, quam emendationem eius tentare. Persuasum tamen habemus, in asportando Mauro usum Sisinnium classiariis suis militibus, ipsisque navibus bellicis.

Quibus auditis Maurus, Constantinopolin profectus, imperatorem adiit, ut in gratiam acceptus princeps fieret. Ipsius tamen Mauri filius ad pias imperatoris aures defert, quae pater adversus Thessalonicam ipsamque Thraciam meditatus fuisset; quae vera esse, inde quoque cognitum est, quod Cuberus Mauri socios eiusque uxores eodem ut antea honore prosequi non destitit. Imperator vero Maurum neci quidem non dedit, sed dignitate orbatum in suburbium Cpolitanum, securitati satis prospiciens (μετὰ τῶν ἀσφαλῶν), relegavit, atque a praefectura et militia, quam habebat, amovit (AA. SS. l. c. cap. 207).

Habes, benevole lector, ex Actis Sanctorum ultimi belli petitam narrationem, quod, quamquam non erupit, tamen ut alia quaedam aevi pristini in eo erat, ut civitatem nostram nisi everteret, tamen barbaris habitandam traderet. Ii quinam fuerint, tacet ut alia anonymus huius belli narrator. Praeter gentiles maxime christianos homines ex Avaria Cuberus Maurusque in Macedoniam adduxerant. Ii Christiani non alii mihi videntur quam Graeci, qnos patriam suam, Thessalonicam inquam, Constantinopolin, Thraciae urbes, vehementer appetiisse, supra legimus pag. 68. Eos Thessalonicae non metuendos fuisse puto; partem autem eorum praefectus Thessalonicensis Cpolin ante Mauri insidias transmiserat. Restant barbari gentiles, quos Actorum narratio non praetermittit, licet nominibus eorum, quod maxime dolendum, non appositis. Pauciores vero Christianis Graecis fuisse, non tecte Anonymus noster significat. Jamque interroganti, quinam ii barbari fuerint, Bulgaros potissimum fuisse, respondeo: duces enim expeditionis Bulgari duo fuere, Cuberus et Maurus. Ii vero (alios barbaros ignoro) occupandae Thessalonicae pares esse haud poterant. Confugiendum itaque ad Sclavinos Thessalonicae conterminos, hominum multitudine florentes. Iis carere non poterat Bulgarorum par memoratum ad opprimendam Thessalonicam, eamque cum Macedonia tenendam; minus etiam ad impugnandam Thraciam, insulas, Asiam, Constantinopolin. Unde hoc quoque diximus bellum Sclavinorum Thessalonicense, licet solorum Sagudatarum mentione iniecta, atque ita quidem, ut de fide horum barbarorum imperatori Graeco praestita nulla suspicio legentibus Acta Sanctorum nasci possit. Ceterum tertii quartique Sclavinorum belli Thessalonicensis habita ratione chronologica, collatis annis illis sexaginta pluribusve, quos Anonymus noster (pag. 67 huius dissertationis) post illa bella elapsos narrat, sextum hoc bellum initiis Constantini V Copronymi (a. 741 — 775) assignandum existimo; Cornelius Byeus seculi eiusdem finem statuit: vix bene, si quid in his literis intelligo. Est autem memorabile hoc bellum tum propter alia, tum eam ob causam, quod huius expeditionis sive secessionis beneficio multos Graecorum patriae suae redditos videmus; dein augetur nostra Avarorum praecipue cognitio, quod antecedentibus quoque bellis debemus; postremo nova discimus non contemnenda de sacris Christianis in terra Istriana conditis auctisque *).

Relictis Anonymorum nostrorum Demetriacorum, qui Thessalonicae suae res egregie illustrarunt, commentariis lectu atque intellectu haud facilibus, ad reliquum Constantini V Copronymi regnum pergimus, quantum ad res Macedonicas spectat. Thessalonicam quidem Sclavini post Justiniani II Rhinotmeti victoriam, a. 688 reportatam, appetere desierunt; cuius rei optimus testis Anonymus noster, sexti belli scriptor. Is enim, quem aevo Constantini V Copronymi, vel brevi post vixisse puto, aliud bellum Sclavinorum Thessalonicense, si revera accidisset, silentio non praetermisisset. Ipsi vero Macedoniae, Copronymo regnante, a Sclavinis quietae esse non semper licuit. Eius enim imperatoris anno duodevicesimo (post Chr. 758) exarsit bellum Slavo-Macedonicum. Theophanes igitur in chronographia sua (ed. Paris. pag. 361., ed. Ven. pag. 287) haec habet ad annum Copronymi XVIII: *Τούτῳ τῷ*

*) Nostro bello anterior alia Bulgarorum (Hunnogundurorum) ab Avaris dominis defectio, Cubratio duce patrata. V. Stritteri memorr. T. I. p. 755. T. II. p. 501.

ἔτει Κωνσταντῖνος τὰς κατὰ Μακεδονίαν Σκλαβινίας ᾐχμαλώτευσε, καὶ τοὺς λοιποὺς ὑποχειρίους ἐποίησεν. I. e. *Hoc anno Constantinus e Sclavinorum Macedonicorum gentibus captivos abduxit, reliquos vero imperio suo subiecit* *). Qui in antecedentibus nostram bellorum Slavicorum narrationem, ex Anonymis Demetriacis hausiam, legere, mirabuntur, immo notabunt flebilem ut alibi miseramque Theophanis breviloquentiam. Tacet chronographus de causis belli; tacet de sedibus gentium illarum Slavicarum; tacet de illarum nominibus. Rebellarant puto Sclavini quidam, ab imperatore Justiniano II Rhinotmeto victi quidem, nec tamen, ut alii, in Asiam transpositi; aut erant adhucdum liberi quidam Sclavini Macedonici, qui isto demum anno (758) regno Graecorum parere coeperunt. Deinde eos, qui in captivitatem abducti sunt, remotiores a Thessalonica fuisse puto; propiores ei civitati, quos solummodo parere sibi imperator coegit. Idem discrimen in victoria Justiniani II Rhinotmeti, septuagesimo anno ante (688) reportata, statuendum putavi (pag. 66). Ceterum Copronymi victoria num omnem Sclaviniam Macedonicam spectet, valde mihi dubium videtur. Immo superiorem ego Macedoniam (Orestidem, Pelagoniam, regionem Strymoniis fontibus vicinam) ne decimo quidem seculo ineunte Graecis paruisse puto; quod Cameniatae caput sextum, supra (pag. 54) allatum, extra dubii aleam ponit. Ut breviter sententiam meame xponam: eos tantummodo Sclavinos Macedonicos seculo septimo, octavo atque nono Graecis paruisse existimo, qui sinubus Pierio, Strymonio atque Thermaico propiores sedebant: reliqui (septentrionales, inquam) liberi agebant **). Berroeam vero (si latus occidentale spectas) medio seculo octavo imperii Graecorum limites non multum transgressi sunt.

Alia rerum facies exeunte seculo octavo. Anno enim 782 vel 783, imperantibus Constantino VII porphyrogenito et matre Irene, bellum omnibus Sclavinis illatum est, qui Thessaliam Graeciamque cum Peloponneso tenebant. Breviter et haec ut alia more suo Theophanes narrat (chronogr. p. 385 ed. Paris. p. 306. ed. Ven.). Mandatum hoc bellum Stauracio patricio cursusque logothetae; qui cum numeroso exercitu adversus Sclavinorum gentes missus, Thessalonicam et Graeciam intrat, deinde regionem omnem imperio Graecorum subiicit, tributumque pendere cogit. Penetrata quoque Peloponnesus, unde captivorum multitudo aliaque praeda abducta. Thessalonicam ***) ideo memoratam puto, quod ea civitate Stauracius, si parva licet componere magnis, velut Pompeius M. in bello Julio Caesari inferendo, praesidii loco usus videtur, unde ad debellandos Thessaliae reliquaeque Graeciae Sclavinos proficisceretur †).

Atque hae sunt potiores Thessalonicensium res per seculi octavi decursum. Seculo nono num bello petita fuerit, equidem ignoro. Quod enim Leo Grammaticus (p. 458. 459. ed. Paris.) de Baldimero, Bulgariae principe, versus Thessalonicam profecto, narrat, equidem me non intelligere fateor. Ibi enim tacetur, quonam consilio Bulgarus civitatem nostram petierit, amico an hostili; exercitu stipatus, an solus? Ceterum Theo-

*) Male Theophanis loco verba: *τὰς κατὰ Μακεδονίαν Σκλαβινίας*, sic interpretantur: *Sclavinias provincias ad Macedoniam sitas.* Est in talibus *κατά* idem quod *ἐν*. Dein *ᾐχμαλώτευσε* iisdem doctis est: *in servitutem redegit*, sensu non satis claro. Imperator Graecorum gentes quasdam Sclavinorum Macedonicorum (incertum, totas, an partem earum), exemplum Justiniani II Rhinotmeti secutus, e sedibus suis abductas, in aliam imperii partem transposuit.

**) Mirum, quod in omni bellorum Slavo-Macedonicorum historia alii quidam Sclavini taceantur, nimirum Serbi, qui Heraclio imperante (a. 610 — 641), e patria sua profugi, in Macedoniam occidentalem, Thessaliae confinem, recepti sunt, ubi Servia (*τὰ Σέρβλια s. Σέρβια*) urbs etiamnunc eorum nomen servat. V. Stritteri memorr. T. II. p. 131. 278. 308., coll. tabulis geographicis FrancoGallorum Cousinéry et Lapie.

***) Aliis tamen in Theophanis loco *Θεσσαλονίκην* corrupta lectio esse videbitur, pro *Θεσσαλίαν*. Quam meam suspicionem firmari video Anastasii Bibliothecarii loco (Histor. ecclesiast. p. 169. ed. Paris. p. 84. ed. Ven.) Is enim Theophanis locum ita convertit: *Qui cum descendisset in Thessaliam et Graeciam*, rell. De alia harum vocum confusione v. nos p. 4.

†) De hoc Stauracii bello v. quoque Phil. Fallmerayeri librum: *Geschichte der Halb-*

phili imper'um spectatur, sive anni 829 — 842 (Stritter. memor. T. II. p. 566 sq.). Thessalonicam vero non hoc tantum seculum, sed etiam antecedens, in pace bellique omnis immunem egisse, luculenter testatur Cameniata cap. 9: *Ἦν οὖν ταῖς ῥηθείσαις αἰτίαις *) ἀνωτέρα κινδύνου παντὸς ἡ πόλις. Ἐξότου γὰρ ἡ κολυμβήθρα τοῦ ἁγίου βαπτίσματος τὸ τῶν Σκυθῶν ἔθνος τῷ Χριστωνύμῳ λαῷ συνεμόρφωσε .. πέπαυτο (πέπαυντο) μὲν αἱ τῶν πόλεων στάσεις (ἀναστάσεις), ἀνεῖτο δὲ τῆς ἐνεργείας ἡ τὰς σφαγὰς ἐπιτηδεύουσα μάχαιρα . . καὶ πόλεμος ἦν οὐδαμοῦ, καὶ τὴν περίχωρον ἅπασαν εἰρήνη κατεπρυτάνευε· καὶ οὐδεμία ἦν εὐζωΐας ἀφορμή, ἧς οὐκ εἰς κόρον ἡμεῖς ἀπελαύομεν.* I. e. *Civitas igitur ob eas, quas diximus, causas, omnis periculi secura agebat. Quo enim ex tempore sancti baptismi lavacrum Scytharum gentem ad similitudinem christiani populi efformaverat . . urbium desolationes finem habebant, ensisque caedium auctor a sua vi remittebat . . . bellum nullibi erat, in omni vero vicinia pax regnabat; nullaque erat commodioris vitae ratio atque occasio, qua non affatim frueremur.* Beatum deinde Thessalonicensium suorum statum in sequentibus satis eloquenter praedicare pergit, quem maximopere omnis generis mercatura auctum dicit. Huius rei beneficium Sclavinorum accolarum ad sacra Christiana conversioni tribuit ut clericus; ††) bene quidem ac prudenter. Hos enim gentiles superstitio sua non poterat non Graecis maxime infensos vel tum reddere, quum libertate amissa illis parere coepissent. Aliam vero rem tacet noster Cameniata, qua Thessalonicae opes ultimo aevo maximopere auctae videntur. Est haec mercatura Graecorum cum populis Istrianis, maxime Bulgaris, exercita, quae a. 888 e Constantinopoli Thessalonicam translata dicitur †††), civitatem ad ista negotia multo opportuniorem, quam urbs regia. Distat enim Thessalonica nostra a Danubio flumine, in quo urbs Belegrada, octo dierum itinere, si quis non festinanter, sed interquiescens proficiscatur, teste Constantino Porphyrogenito de administr. imp. cap. 42.; qui locus florem mercaturae inter Danubium inferiorem ac Thessalonicam seculo decimo exercitae non tecte significat.

Verum inhibendus narrationis nostrae cursus, ancorisque demissis in anni 904 historia subsistendum, quo tempore Thessalonica, diuturno post bella Slavica otio gavisa, opibusque mirifice aucta (Cameniata l. c. c. 8 — 10), Sarazenorum Syriae Tripolitanorum praeda evasit. Eam calamitatem, dein Bulgarica et Normannica Thessalonicae fata, denique illustrissimi metropolitae Eustathii vitam, mores et scripta, i. e. secula urbis decimum, undecimum, duodecimum, per alius occasionis opportunitatem illustraturi, ad urbis agrique Thessalonicensis descriptionem transimus.

---

insel Morea während des Mittelalters. T. I. Stuttg. et Tub. 1830. p. 214 — 216. Qui vir eximius imperatorem Copronymum ad Berroeam Macedonicam penetrasse ibidem p. 215. narrat, quod ego nullo scriptoris veteris loco monstratum doleo. Idem Irenen imperatricem, ante bellum Slavicam limites imperii visitantem, ad Berroeam Macedonicam progressam tradit, scil. Theophane teste (chron. p. 385. ed. Paris.). Verum hoc iter post bellum Stauracii Slavicum aggressa est (mense Maio, imperii anno quarto, coll. Theoph. l. c.). Thraciamque imperatrix visitavit, non Macedoniam (Theoph. l. c.). Berroea autem ibidem citata est Thraciae urbs, alibi Beroë dicta, coll. Stritteri memorr. (Ind. geogr. p. 250).

*) Eas causas exposuit capito 8 (pag. 40. 41. huius dissertationis).

**) Non uno quasi actu, quod fere in historia Bulgarorum observatur, sed paulatim ad sacra nostra Sclavini Macedonici Thessalicique accessisse videntur. Quod factum puto inter victoriam Justiniani II. Rhinotmeti (a. 688) atque expugnationem Thessalonicae Sarazenicam (904). Semina tamen fidei christianae non pauca, bellorum quinque priorum occasione (584 — 688) gentilibus illis inspersa, nostra illorum seculorum illustratio ostendit. Bulgarorum ad Christum conversio anno 860 vel 861 tribuitur (Stritter. memorr. T. II. p. 670. Gieseler. Lehrb. der Kirchengesch. ed. II. T. 2, I. p. 296); diu ante hoc tempus Sclavinos nostros conversos fuisse, Cameniata significare videtur.

***) Veterum de ea re testimonia v. apud Stritterum memorr. T. II. p. 576 sqq. Dolendum, quod Graeci istam commercii mutationem non uberius exposuerunt.